

DUCHER (Gilbert)

EPIGRAMMATA (3587 vers)

Le texte proposé ici a été établi à partir de l'édition de 1538, sortie des presses de Sebastien Gryphe, à Lyon.

Comme dans les *Nugae* de Nicolas Bourbon et les *Epigrammata* de Nicolas Barthélemy 'de Loches', les insertions de mots, groupes de mots, vers entiers en grec sont fréquentes et, en raison de la typographie de cette époque, d'une lecture difficile, nous demandons l'indulgence du lecteur.

(Ces mots ou groupes de mots sont repérables par les guillemets simples qui les délimitent et, dans les titres, par l'usage de la minuscule.)

GILBERTI DUCHERII VULTONIS AQUAPERSANI

EPIGRAMMATON LIBRI DUO.

I

GILBERTI DUCHERII VULTONIS AQUAPERSANI EPIGRAMMATON LIBRI PRIMUS.

(1706 vers)

AD DOMINUM GULIELMUM PRATIANUM,
GERGOBIAE ARVERNORUM EPISCOPUM, MECAENATEM SUUM.

E1_1 v.1 Rusticus ante Deum, cui sunt bona rustica curae,
2 primitias veteri ponere lege solet,

3 sic ego nostra tuae doctrinae carmina pono,
 4 Maecenas studiis ancora sacra meis.
 5 Sunt levia et tanto lectore indigna, fatemur.
 6 Sed parvi facias carmina, magni animum :
 7 tantum sane in te, quantum adfirmare puderet,
 8 ni scirem hunc notum jam satis esse tibi.

AD EUNDEM.

E1_2 v.1 'Mousaon Helikoniadon archometh' Aeidein',
 2 ille poeta citus dixerat Hesiodus.
 3 'Mênin aeide thea' kai, 'Andra moi ennepe, Mousa',
 4 ipso a principio magnus Homerus habet.
 5 Contra ego, Maecenas, dudum haec epigrammata scribens,
 6 in patruo fixi spemque decusque tuo.
 7 In vulgus mihi nunc scripta, in lucemque daturō,
 8 pro Phoebō et Musis omnibus unus eris.

AD D. ANNAM REGINUM.

E1_3 v.1 Dulce decus vatum, oratorum gloria, cuius
 2 cultos se ingenio Pallas, Apollo vident,
 3 ad te parva licet nostrae sint munera Clius,
 4 ne, Regine, tamen spreveris illa ferox.
 5 Cur spernas autem ? Capiunt munuscula Divi,
 6 persica, pruna, nuces, coctana, fraga, rosas.

AD D. IACOBUM SADOLETUM CARPENTORACTIS EPISCOPUM.

E1_4 v.1 Tutari, manes doctorum, itidemque bonorum
 2 ut vera est pietas, sic genuina tibi est,
 3 vel quod Longolium magni Ciceronis alumnum
 4 contra latratus asseris invidiae.
 5 O felicem illum, si manibus ullus honorum est
 6 sensus et ista pater suggerit aethereus.
 7 Suggesterit autem ? Imo has sentit, Sadolete, videtque
 8 Longolius laudes, et tibi gratiam habet.

IN QUENDAM ZOILI NOMEN SIBI CUPIDE ADSCRIBENTEM.

E1_5 v.1 Zoile (quandoquidem vocitari nomine gaudes,
 2 quod linguae oderunt Graeca, Latina nimis)
 3 riserit efflictim, si te spectarit, Apelles,
 4 necnon Timomachus, Zeuxis et Antiphilus.
 5 Namque tuum vano nimium sudore dealbas,
 6 denigrare meum nomen ut inde queas.
 7 Verum nostram albus color ille dealbat et ater
 8 denigrat famam, stulte miserque, tuam.
 9 Et qui me, qui te exacte cognoverit, aut cui
 10 exstiterit nostrum notus uterque satis :
 11 Ducherio dicet : "Doctusque bonusque poeta es ;
 12 Zoilo es indoctus nec bonus esse studes.

TELESILLAE CASTITAS, 'mimêsis' IANI LASCARIS.

E1_6 v.1 Ut sensit moechum haudquaquam Telesilla pudentem
 2 palpando lectum sollicitare suum,
 3 frustra conantem subito experrecta repellit
 4 molliculis, quantum infirma potest, manibus.
 5 Ille repellenti verbis gladioque minatur,
 6 proponens mortem, si neget usque torum.
 7 Tum gladio collum objectans Telesilla parato :
 8 "Ista, inquit, castum mors tegat una torum."
 9 Dixit et occumbens foedavit sanguine lectum,
 10 casta animo semper, castaque conjugio.
 11 Qua cum se frustra Lucretia laudibus aequet :
 12 famae cura illam conjugii hanc rapuit.

IN TEMERITATEM.

E1_7 v.1 Dum patrios Phaeton scandit temerarius axes,
 2 in medium pronus corruit Eridanum.
 3 Dum male commissis patrem anteit Icarus alis,
 4 aequoreis praeceps piscibus esca fuit.
 5 Ne supra vires quicquam aggrediamur inepte :
 6 exemplo fuerint Icarus et Phaeton.

ALIUD.

E1_8 v.1 Dum jacet Alcides patulaque sub ilice dormit
 2 et defuncta tenet membra labore quies,
 3 illum Pygmaei tripedales, agmine facto,
 4 multi unum, tota sedulitate petunt.
 5 Conati inter eam incautum obtruncare quietem,
 6 gens excors, vires nec bene mensa suas.
 7 Demum experrectus somno, unus provocat omnes,
 8 victorum et victor corpora fusa terit.

DE AMORE.

E1_9 v.1 Imperat Idalius terris puer, imperat astris :
 2 hinc domat ergo homines, hinc domat ergo deos.

IN LONGULUM, 'mimêsis' MARTIALIS.

E1_10 v.1 Quaeris, et usque rogas, qualis sim forte futurus,
 2 si Licini campos praedia Crassi habeam.
 3 Si liceat mores tibi divinare futuros,
 4 sisque ingens elephas, Longule, qualis eris ?

AD GELLIAM.

E1_11 v.1 Otia si tollas, periisse Cupidinis artes,
 2 nemo negarit, Gellia.
 3 Quo puer extremi vehemens infusor amoris
 4 incogitantem me mihi
 5 sustulit et totum tibi transtulit impius, illo
 6 vixi otiosior die.
 7 Indigna historiis tamen est victoria, quando
 8 paratus incautum petit.

URBIS RHODI QUERIMONIA.

E1_12 v.1 Europae murus, Turcaeque repulsio quondam,
 2 ipsi nunc Turcae servio victa Rhodos.
 3 Si quisquam auxilio voluisset adesse, manerem,
 4 quae sum tormentis diruta victa fame.
 5 Christicolae, nostram lacrimarum flumine sortem
 6 lugete : hinc certum vos manet exitium.
 7 Nam quae murus eram contra molimina Turcae
 8 omnia, in Europam janua nunc pateo.

AD D. CAROLUM TURNONIUM VIVARIENSEM EPISCOPUM.

E1_13 v.1 Post mortem tantum victosque labore labores,
 2 Amphitryoniadae parta corona fuit.
 3 Dii longe melius tecum, pie Carole, tecum
 4 egerunt superi de meliore nota.
 5 Et prius, atque tibi provector obtigit aetas,
 6 virtuti cernis praemia magna tuae.
 7 Sis licet antistes nullum finemve modumve
 8 ornandi facient numina celsa tui.

HERCULES, DE SUIS LABORIBUS.

E1_14 v.1 Oppressi Nemees monstrum deforme leonem
 2 nec tandem a nostra pullulat hydra manu.
 3 Ignivomos clavae prostravi robore tauros,
 4 et mea spumantem dextra peremit aprum.
 5 Horrisono fixi volucres Stymphalidas arcu.
 6 Abstulit Hippolytes vincula nostra manus.
 7 Geryonem triplicem rigido luctamine vici.
 8 Hesperidum ex hortis aurea mala tuli.
 9 Hinc Diomedis equos, sed herili sanguine, pavi,
 10 postquam nulla ferox cornua cervus habet.
 11 Augiae stabulo demum cum principe victo,
 12 Cerberon abduxi. Tandem et Olympum habeo.

IN SALSIBIANUM.

E1_15 v.1 Calliphanes si quem nosset scitum esse poetam,
 2 totum ediscebat quo fuit ingenio.

3 Passim inter doctos scitum recitabat eundem :
 4 unde illis merito nausea multa fuit.
 5 Tu Macrini etiam divina poemata discis
 6 proque tuis recitas, Salsibiane, mihi.
 7 Cur tamen aegre fers, et aperta rumperis ira ;
 8 si ridens, dico te quoque Calliphanem ?

AD MAECENATEM.

E1_16 v.1 Quando Maecenas nequeam, mendicior Iro,
 2 aurumque, et gemmas, quicquid et his simile est.
 3 Si tibi cor ipsum trado irrevocabile, sane
 4 iudicio sunt haec maxima dona meo.
 5 Aurumque et gemmas, atque id genus omnia fluxae
 6 subdita Fortunae, nemo quidem dubitet.
 7 Sola fides immota manet : numquam illa caducae
 8 fortunaeve minas, imperiumve timens.

IN VIRGINUM CUSTODIAM.

E1_17 v.1 Cum vigilem, ac magnum serpentem sancta vetustas
 2 Palladis innuptae pinxit ad effigiem,
 3 nos docuit curam innuptis adhibere puellis,
 4 in quas numquam usquam est desidiosus amor.
 5 Pastor Aristorides non servat gnaviter Io,
 6 turri et cancellis Acrisius Danaen,
 7 Juppiter Europen tauris sub imagine lusit,
 8 sub cycno Ladae Juppiter imposuit.

AD G. DURANDUM LUGDUNENSEM.

E1_18 v.1 Ardua si spectet validis tua dextera pennis,
 2 et sit compedibus vincta sinistra tibi,
 3 dextera nequicquam laeva impediante, laborat.
 4 Nam levis adnixum deprimit ipsa gravis.
 5 Ingenio si sis, Durande, ad maxima nato,
 6 pauperies autem te malesuada premat :
 7 tardius ad celebrem possis adsurgere famam,
 8 quam mare testudo sanguine cassa bibat.

AD JACOBUM TUSANUM.

E1_19 v.1 Viderit in Graecis quantum mereatur Homerus
 2 aut Latio aeternus carmine Virgilius,
 3 Graeca, Latina etiam si quisquam amplectitur unus
 4 te, Tusane, illum dicere jure potes.
 5 Ut sua doctrinae rex noster praemia novit
 6 reddere Franciscus, laurea certa tibi est.

AD LADISLAUM CARLEUM.

E1_20 v.1 Quando sis dives, quando formosus, itemque
 2 doctus : ut indicio sunt tua scripta satis.
 3 Si Junonis opes, Veneris si forma, Minervae
 4 si doctrina quoque est, Carlee, cujus eris ?

NIHIL LABORI ET INGENIO NON CEDERE.

E1_21 v.1 Commisso undisonum mare tandem ponte ligatur,
 2 aeriis remis velificatur Athos,
 3 humanis pedibus Tethys substernitur ipsa,
 4 ingenti contra puppe meatur humus,
 5 Salmoneus forti jaculatur fulmina dextra,
 6 praepetibus pennis Daedalus astra petit,
 7 scilicet ingenii praeceps furor invia rumpi :
 8 improbus et vincit maxima quaeque labos.

IN SIMONIAM, IMITATIO ARCHITHRENI.

E1_22 v.1 O utinam atque utinam quod votis omnibus optem
 2 Pontifices ipsos haec tetigisset acus.
 3 Ne sancta ara furet rutilo contemptior auro,
 4 neu gravior nummus numine, libra libro :
 5 neu largiretur, pro Petro, jam omnia Simon
 6 ad loculos, pulsus funditus Ambrosiis,
 7 haeresibus nullis haec aetas nostra pateret,
 8 nutrent Christi pasqua sancta gregem.
 9 Nunc cum Simoni, pro Petro, ecclesia servit,
 10 languescit, paucis interitura, fides.

DE CLOACO, ET DURO.

E1_23 v.1 Juxta Pythagoran senem hic nimis quam
 2 delirantem, animae semel creatae
 3 divertunt celeres in hoc, ab illo
 4 corpus corpore. Suasus inde Durus,
 5 Romani Ciceronis arbitratur
 6 plusquam incito animam insitam Cloaco :
 7 quod quae sit Ciceronis, atque non sit
 8 vera dictio, scribat exprimatque.
 9 Ut vero folium modo Sibyllae
 10 narrem, docti animam arbitrantur illum
 11 nostri Villanovani habere, cujus
 12 defuncti sibi scripta vendicavit,
 13 fur nequam plagiariusque summus.

IN OBITUM D. CLAUDIAE, FRANCORUM REGINAE.

E1_24 v.1 Cum Mors ante oculos ea vivae fata pararet,
 2 quae lege humana pellere nemo potest,
 3 virtutem semper sibi cultam Claudia vidit.

4 Ad visam aspiciens talia verba facit :
 5 "Si Dea toto animo et colui te, et semper amavi,
 6 quae mihi defunctae praemia, quaeso, paras ?"
 7 Tum Dea : "Sanctam animam digna caeli arce locabo,
 8 implebit terram nomine fama tuo.

AD IDEM.

E1_25 v.1 Mortalis tantum fuerat, dum Claudia vixit,
 2 sed mortis tandem munere facta Dea est.

AD IDEM.

E1_26 v.1 Numina, quae humanis praesunt (auctore poesi)
 2 olim haec dedere Claudiae :
 3 natura illustres ortus firmamque decoram,
 4 fortuna opes amplissimas,
 5 tresque venustatem Charites munusque bonarum
 6 doctrina Musarum fuit.
 7 Cum dare non posset pariter Mors talia dona,
 8 donata viventi invidens,
 9 eripit illam, ereptae sperans cruda nocere.
 10 Avertit hoc Virtus nefas :
 11 pro fluxo mundi hujus regno reddit amoenam
 12 frondosi Olympi regiam.

IN AVITUM.

E1_27 v.1 Stentor es, in tenebris, in clara luce, cicada,
 2 qualem ex historia vilis Acanthus habet.
 3 Praesentem praesens me extollis, deprimis absens
 4 absentem, lacerans nomen, Avite, meum.
 5 In lucem a tenebris veniant tua carmina : cessent
 6 evulgata bonae sacrificare Deae.
 7 At si prodibunt, te lector ab unguibus ipsis
 8 agrestem plane sentiet, atque rudem.

AD VENEREM, PRO LASSIDIO.

E1_28 v.1 Sic te Chaoniae volucres, tua cura, columbae
 2 laetam, diva Venus, summa per astra ferant
 3 sic tibi, cum Memphimve Cnidumve Erycemve subibis,
 4 mellifluos cantus concinat albus olor,
 5 lassidio tantos exstinguas mitior ignes,
 6 aspera vel Phyllis mitius illum habeat,
 7 neu pergat misero juvenem afflictare labore,
 8 marmore neu Phrygio durior esse diu.
 9 Si quid te laesit, si quicquam incautius egit,
 10 in juvenis poenas haec satis este puta.

AD TUSCANUM.

E1_29 v.1 Si quas Parrhasius statuas clarissimus olim
 2 sculpserit, aut certe maximus ille Scopas,
 3 helluo tempus eas annisque situque peredit,
 4 nec minima illarum jam monumenta manent.
 5 Quae faciles fuerint sortita poemata Musas
 6 durabunt nullis subdita temporibus.
 7 Desine pyramides, famae dulcedine, caelo
 8 aeqnare et vastis molibus erigere.
 9 Si tibi pellicies donis, Fuscane, poetas,
 10 causa tibi aeternae posteritatis erunt.

IN OBITUM D. JOANNIS BIBAUCII.

E1_30 v.1 Ut sanctum caput hostis amputatum
 2 Pompei potuit videre Caesar,
 3 illum, ex laetitia sibi adfluente,
 4 extra se positum fuisse constat.
 5 Verum ut laetitiam ex malo triumpho
 6 enatam tegat, anxio vultu
 7 caelans gaudia, fingit hoc haberi
 8 ingratum sibi, quod malus minister
 9 indignam misero manum attulisset.
 10 Contra autem Annibal impiger feroxque,
 11 dum Carthagini atteri dietim
 12 successus videt, ac minus faventem
 13 Fortunam atque suos favore cassos,
 14 ne diffundat item dolorem eundem,
 15 ridet, dissimulans acerbitatem
 16 linquendae Italiae sibi, coacto
 17 ad Carthagini anxias reverti
 18 arces, ob furialia et cruenta
 19 implacabilis arma Scipionis.
 20 Ergo laetitia oculi dolorem,
 21 contra laetitiam oculi dolore,
 22 exemplis licet id genus videre.
 23 Quare si cano, praeter adsuetum,
 24 et totum hunc Genio diem dicavi,
 25 hac sola ratione possum acerbos
 26 occultare meos meis dolores,
 27 conceptos mihi, postquam ab orbe nostro
 28 est Bibaucius ille raptus, atra
 29 fatorum invidia maloque nostro.

IN EUMDEM EJUSDEM OBITUM.

E1_31 v.1 Ite in rem diram Musa, infidissima turba,
 2 ite quoque in meritam Pallas, Apollo, crucem.
 3 Ille, ille insignis clarusque Bibaucius, ille
 4 cui vos tutores esse quidem decuit,
 5 occidit ante diem, fato praeventus iniquo :
 6 contra illum valuit mortis acerba manus.
 7 O rigeant lauri, careatque virore Cithaeron,

8 arescant etiam verni Heliconis opes.
 9 Nam vatium decus, oratorum gloria summa
 10 exstincta est uno, non sine clade, die.
 11 "Istane Castaliis doctorum est cura deabus ?
 12 Istane cura tua est Pallas ? Apollo tua ?"
 13 Clamabat moriens, "Vestro succurrite, Musae,
 14 auxilio adsitis Pallas, Apollo mihi."
 15 Heu, cessant Musae miseranda ad vota vocatae :
 16 nulla venit Pallas, nullus Apollo venit.
 17 Tabescit sensim, sensim vitalibus auris
 18 deseritur, sensim deficit ante diem.
 19 Ergo quia effusam defuncto reddere vitam
 20 non licet : hunc precibus, lector amice, juva.

AD MAECENATEM.

E1_32 v.1 Si poterunt volvi manibus curaque nepotum,
 2 posteritatem etiam si mea scripta ferent,
 3 laus tua, Maecenas, nullum morietur in aevum,
 4 nec tineas umquam sentiet aut cariem.
 5 Qua certe scriptis evulganda omnibus, omnes
 6 ingenii nervos tendere cura mihi est.
 7 Nec soli est ea cura mihi, nam, ut quisque poeta est
 8 optimus, incumbit laudibus ille tuis.

AD D. ANNAM REGINUM.

E1_33 v.1 Castoras esse sibi cum sentit nauta secundos,
 2 intrepidis vastum navibus aequor arat.
 3 Bello non dubitat sese committere miles,
 4 si Martem auxilio noverit esse sibi.
 5 Rem quamvis animo forti molitur et audet
 6 qui certam a certo numine sperat opem.
 7 Spes mihi certa, uti olim Maecenate secundo,
 8 cum, Regine, ad eum sis via certa mihi.

AD D. JUSTUM TURNONIUM, EJUSDEM LOCI TOPARCHUM.

E1_34 v.1 Quam natura tuum corpus firmavit ad unguem,
 2 indicio esse satis, Juste decore, potes.
 3 Deterior ne sim, dixit Fortuna, juvabo
 4 illum, divitiis affluet usque meis.
 5 Virtus Naturam ac Fortunam risit, earum
 6 subjectam fato vidit ut esse operam :
 7 "Aeternum accipiet meus, inquit, Justus honorem ;
 8 vobis posthabitis, militat ille mihi."

IN NANOS, EX LUCILIO.

E1_35 v.1 Formicae insidens Menesistratus, ac si elephanto,
 2 ad durum infelix decidit usque solum.
 3 Atque ut convalluit, "Quid rides, invide?" dixit.

4 "E caelo haud aliter deciderat Phaeton."

IN EOSDEM, EX AMMIANO.

E1_36 v.1 Arbore sub gelida ferventi aestate jacentem
2 in sua Macronem musculus antra rapit.
3 Raptorem captus collisit, et alter haberi
4 viribus Alcides a Jove tunc voluit.

AD GELLIAM.

E1_37 v.1 Me supplex fateor, me sentio, Gellia, victum
2 servumque dico me tuum.
3 Vicisti tandem, vicisti cor vafra tandem
4 adsultibus multis meum.
5 At cum duram adeo te praebes, protinus ipsa
6 anima minatur exitum ;
7 si modo cor victum saevissima pascere pergis
8 doloribus saevissimis.

POETA, DE SEIPSO.

E1_38 v.1 Hoc est imperium illius crudele tyranni,
2 qui fixus penitis ossibus haeret Amor.
3 Detestor vitam vitaeque cupidine ducor,
4 conficior laetis, tristibus adficior.
5 Austros praecipites venor male sanus, amando
6 et laterem, vana sedulitate, lavo.
7 Spes tamen efficiet constantem denique, quando,
8 seminibus jactis, spes alit agricolas.

IN PONTINIANUM.

E1_39 v.1 Sis gravis orator, per me, argutusque poeta,
2 et quisquis fieri, Pontiniane, voles.
3 Sed gravis orator tamen argutusque poeta,
4 vel si aliud quicquam majus habere voles,
5 unum te obtestor, per Phoebum perque Minervam
6 per quaecumque etiam numina sancta colis,
7 ut ne animum inducas de nobis scribere quicquam :
8 indignus scriptis id genus esse velim.

IN FACILE A VIRTUTE DESCISCENTES, 'mimesis' ANDREAE ALCIATI.

E1_40 v.1 Ut remora, exiguus piscis, spreto impete venti,
2 in mediis navim saepe moratur aquis,
3 sic multos etiam studiis avertit honestis,
4 a virtutis item tramite, causa levis,
5 ut malesuada fames, lucri sitibunda cupido,
6 anxia lis, necnon quicquid erit simile.

IN SUFFEREOLLUM.

E1_41 v.1 Cum sua sit, quod habet dictum vetus, umbra capillo
2 cur me posse aliquid, Suffereolle, negas ?

FORTUNAE IN VIRTUTEM DE FRANCISCO CHRISTIANISSIMO REGE PROCACITAS
PARTIM E GRAECO JANI LASCARIS.

E1_42 v.1 Franciscum ergo ipsum technis Fortuna doloque
2 cepit, ut esse bonis semper iniqua solet.
3 Inde ferox autem, risit petulantius aequo
4 virtutem, inque Deam talibus usa fuit.
5 "Vel nunc ergo, velis, nolis, nunc victor Iberus
6 ille meus terris imperet atque mari."
7 Cui virtus : "Ideo tibi cessi, ut inepta liqueret,
8 omnibus interdum : "Sa charis os acharis".
9 Nam, duce te, tantum Regem quod cepit Iberus,
10 ista illi damnum gratia triste dabit."

AD GULIEL. DURANDUM LUGDUNENSEM.

E1_43 v.1 Piscibus insidians seta piscator et hamo,
2 pro pisce, humanum tradit ab amne caput.
3 Cum nullam marram, cum nullum sarculum haberet,
4 effodit sola parva sepulchra manu.
5 Ecce tibi, effodiens multum sibi repperit aurum,
6 ut, Durande, piis gratia nulla perit.

QUID NOBIS EX VOLUPTATE.

E1_44 v.1 Omnis voluptas hoc habet,
2 auctore nobis Socrate :
3 apis volantis in modum,
4 suave ubi mel fuderit,
5 aculeis tenacibus
6 demulsa corda sauciat.

CAPTATORES FREQUENTER CAPI.

E1_45 v.1 Dum volucres sequitur pennae stridore minores,
2 et petit hamatis unguibus accipiter,
3 vincula forte pedum fissuris arboris altae
4 implicat imprudens, implicitusque perit,
5 sic damnosa itidem qui lucra sequuntur avari,
6 cum cupide captant, quo capiantur, habent.

AD CUPIDINEM.

E1_46 v.1 Si sapiet, numquam contemnet parvula, quisquis
2 cognorit, quantum, parve Cupido, nocet.

AD MATURINUM VARUM.

E1_47 v.1 Cum sic, Vare, tumet auro gemmisque superbus,
 2 ut mortem nullam polliceare tibi.
 3 Hoc defunctorum tibi clamant ossa tumentis :
 4 "Quod fuimus, nunc es ; quod sumus, illud eris.
 5 Exemplo est Priamus, sublimi ex culmine rerum
 6 a Pyrrho in Stygias praecipitatus aquas.
 7 Ut vero a malvis caenosaque abstinet alga,
 8 Peliacas ornos plumbeus Auster agit,
 9 sic fortuna premens opulentos parcat egenis :
 10 a qua divitiis, Vare, timeto tuis."

AD ANTONIUM PERRISSODUM.

E1_48 v.1 Rem non illepidam, imo pervenustam
 2 uno fasce tibi velim explicatam,
 3 si attentas mihi commodabis aures,
 4 Perrissode, animi mei voluptas,
 5 si quisquam esse mihi potest voluptas.
 6 Astabat fluvio impetu fluenti,
 7 quem sicco pede nemo praeterire,
 8 Franciscanus, homo valens, eundem
 9 forte Scaurus, homo pecuniosus,
 10 ut se trajiciatque pervehatque,
 11 infirmum validus, rogat, benigne
 12 cenam pollicitus. Virum ergo dorso
 13 sublatum, in medio rogavit amne
 14 vector subdolos, unde compararet
 15 cenam pollicitam. Tum ineptus ille
 16 in promptu asseruit sibi esse nummos.
 17 Franciscanus ubi virum atque nummos
 18 ferre intelligit, ad piaculum illud
 19 percussus timuit, sibi que dixit :
 20 "Nequaquam esse licere tam scelesto,
 21 ut tangatve, feratve nummulum ullum.
 22 Statimque in rapidum abjicit fluentem,
 23 trajectus medio in labore, Scaurum.

FRANCISCAE VENINAE, MATRONAE ILLUSTRISSIMAE TUMULUS.

E1_49 v.1 Fortunam experta est Francisca Venina benignam,
 2 naturam experta est esse sibi facilem.
 3 Illi largita est formam Natura decoram,
 4 fortuna ambabus divitias manibus.
 5 Digna igitur fuerat pertingere Nestoris annos,
 6 aut si vita homini longior esse potest.
 7 Falleris, o lector : virtus, praestantior illis,
 8 dilectam in terris noluit esse diu.

AD MAECENATEM.

E1_50 v.1 Inde tibi a Prato, Maecenas, fata dedere
 2 agnomen, genii conscia fata tui,
 3 quod clarus tantis olim virtutibus esset,
 4 quanto ver spirans flore colorat humum.

DE SEIPSO, POETA.

E1_51 v.1 Si mihi proponant extremos summa labores
 2 numina, vulturios, dolia, saxa, rotas,
 3 illis praetulerim jure id genus omnia curis,
 4 quae me sollicitum nocte dieque tenent,
 5 ut tanto certe nequeam superesse labori,
 6 cogar et infelix morte mori misera.
 7 I, nunc quisquis amas, studiosius esto fidelis,
 8 extrema ut merces mors sit amara tibi.

AD GELLIAM.

E1_52 v.1 Cum loqueris, venti ponunt, te audire volentes
 2 tanta est Suavitas tibi.
 3 Si caelo adjicias oculos, caelum, inde serenum
 4 sudumque totum redditur.
 5 Terra, tuis etiam pedibus calcata, colores
 6 effundit omnes gaudio.
 7 Omnia tranquillans, in me unum Gellia saevis,
 8 jam semiustum igni tuo.

IN LYCAONEN.

E1_53 v.1 A nimia non es notus feritate, Lycaon,
 2 sed quoniam ore vores maxima quaeque tuo.

PRUDENS TARDITAS, AD CLAUDIUM GUERRAM LOTHARINGUM.

E1_54 v.1 Qui vehemens nimium, rebus festinat agendis,
 2 saepius optatis fallitur ille suis.
 3 Quae testudo nequit gressum domiporta citare,
 4 optatum attingit tandem aliquando locum.
 5 Festinare igitur nos, Guerra, paroemia lente
 6 admonet, ac subito non properare gradu.

IN JUDICES JURIS IGNAROS, POST ANDRAEAM ASCIACUM.

E1_55 v.1 Rhetora Menogenen olim consultor adivit
 2 Eumolpus, mirae rusticitatis homo.
 3 "Serva mihi fugit, fugitivam repperit Euchnus,
 4 inquit, et eripuit, conscius esse meam.
 5 Imo suo inventam servo conjunxit, et inde
 6 sunt gemini : geminos utrius esse putas ?"

7 Ille diu tractus per multa volumina, tollens
 8 rugosum tumida voce supercilium :
 9 "Vel tibi, seu domino, inquit, eos servire vel illi
 10 seu possessori civica jura volunt.
 11 Si tamen interea tibi fiet praetor amicus,
 12 vinces, atque tuus calculus omnis erit.

AD PULSONIANUM.

E1_56 v.1 Qui dolor a nimio vehemens procedit amore,
 2 illo supplicium durius esse nequit.
 3 Instillatus amor vel ad intima viscera fusus
 4 dementire hominem, Pulsoniane, facit.
 5 Digna quidem fuerit sacra dementia porca,
 6 supra se quemquam si quis amare potest.
 7 Dignus item Anticyras fuerit sorbere meracas,
 8 qui tormenta animo dura volente subit.

DE DIOCLE.

E1_57 v.1 Pisandro timidus magis Diocles,
 2 verbis Miltiades cupit videri.

AD JANAM CRESTAM LUGDUNENSEM.

E1_58 v.1 Ut turmatim homines cogebat adire Corinthum,
 2 conspicuo formae Lais honore suae :
 3 sic, formosarum tu formosissima, prorsus
 4 naturae excellens artificis specimen,
 5 si quo extra prodis, Lugdunum effunditur omne,
 6 humanos oculos tam vehementer alis.
 7 Avertant Superi : ne nubas, Cresta, marito
 8 Acrisio et fias, clausa domi, Danae.

DE SALMONIO MACRINO.

E1_59 v.1 Errare, et toto mihi caelo errare videntur,
 2 vivacium qui existimant
 3 cornicum esse oculos configere, velle poetis
 4 nostri poetas saeculi
 5 praeferre antiquis neque non praeponere priscis
 6 aliquot recentes omnibus.
 7 Testis Macrino numerosus Horatius uni
 8 cedens lyram, cedens chelim.
 9 Haud aliter sane quam heroo in carmine palmam
 10 cedit Maroni ipse Ennius.

IN POMPILIANUM.

E1_60 v.1 Consulibus Flacco et Mario, canis esse locutus
 2 fertur et humano verba dedisse modo.

3 Romanis visum est portentum immane piando
 4 iratos precibus conciliare deos.
 5 Non est prodigium quod nunc doctosque probosque
 6 adlatres rabidus, Pompiliane, canis.
 7 Consultum hinc nullum est, hinc procuratio nulla est,
 8 imbuit ardentis hostia nulla focos.
 9 Sed canis adlatres, quantum satis esse videtur,
 10 dummodo vulnificis dentibus abstineas.

DE FORTUNA, EX MIMO PUBLII.

E1_61 v.1 Vitrea Fortuna est prorsus : cum lucida splendet,
 2 frangitur, instabili nescia stare loco.

AD MULAM, DE D. ANNA REGINO.

E1_62 v.1 Ergo Reginum repetamus inter
 2 plurimos nostris celebres Camenis,
 3 quos tamen longe praebeat vel altis
 4 laudibus aequet.
 5 Sive virtutem libet aestimare
 6 et pios mores penitusque sanctos,
 7 sive doctrinam numeros per omnes,
 8 Musa, vagatam.
 9 Nolo Naturae enumerare dotes,
 10 nolo Fortunae : licet esse magnas
 11 omnibus constet quibus ille multis
 12 notus habetur.
 13 Certe ut orator bonus et poeta est
 14 ad lyram formatus Apollinarem,
 15 hoc studet semper, tibi singularis
 16 esse patronus.
 17 Et, quod agnoscas, tua suscitabit
 18 solus obscuris studia e tenebris,
 19 amplius ne sis cariosa blattis
 20 putribus esca.

DIVAE LOYSAE, FRANCISCI REGIS MATRIS TUMULUS.

E1_63 v.1 Bisseni Alciden caelo evexere labores,
 2 longe majus opus diva Loysa dedit.
 3 Nam sexto caelum est ingressa labore, ita ut ejus
 4 unicus Alcidae vincat honore duos.
 5 Primus enim fuerit Regem peperisse ; secundus,
 6 Reginam : hunc primum Marte, Minerva aliam.
 7 Tertius eversas res instaurasse, benignam
 8 labenti populo supposuisse manum.
 9 Quartus captivum eduxisse e carcere Regem,
 10 natosque educto restituisse suos.
 11 Quintus pace pia bellum mutasse cruentum,
 12 et regum iratos conciliasse animos.
 13 Sextus tandem isti corpus cessisse sepulchro,
 14 vivat ut aeterna spiritus inter opes.

AD D. MELINUM SANGELASIUM.

E1_64 v.1 Unguibus a solis recte censere leonem,
 2 difficile ac magnum ne videatur opus :
 3 disticha pauca, quibus laudas, Melline, Loysam,
 4 possim hoc ex illis dicere, Magnus homo es.
 5 Sint pauca, in paucis plus est quam praestet Homerum
 6 nedum ipse in longa Marsus Amazonide.

EX MIMO PUBLIANO.

E1_65 v.1 Promptius ac citius parvoque labore secundam
 2 fortunam invenias, quam retinere queas.

IN ALORCUM.

E1_66 v.1 Cum cecidi, instabili Fortuna trusus ad ima,
 2 culpa me lapsum dicis, Alorce, mea.
 3 Damnare est, si me objurges, cum denique posco
 4 auxilium aerumnis suppetiasque meis.

PROBIS LINGUAM NIHIL METUENDAS.

E1_67 v.1 Quando tibi recte es, quando bene conscius atque
 2 non terrent animum frausve dolusve tuum,
 3 sermones hominum unius ne feceris assis :
 4 sive boni fuerint, sive mali fuerint.
 5 Nam, quod vulgatum est et passim dicitur, altum
 6 tardi caelum asini vox penetrare nequit.

AD MAECENATEM.

E1_68 v.1 Cum nihil immensum justoque volumine scribam,
 2 sum tibi, Maecenas, desidiosus homo.
 3 Proelia Ranarum, pauper, cantavit Homerus,
 4 divitiis auctus, Martia bella sonat.
 5 Post "Culicem", pauper, "Cyrin" cantavit et "Aetnam"
 6 Virgilius ; locuples, arma virumque canit.
 7 Otia da nobis, dederat quae vatibus olim
 8 Maecenas, Tusco sanguine clarus eques.
 9 Quae simulac dederis, Graecus mihi cedat Homerus,
 10 et Latio nolim cedere Virgilio.

SPORANNAE TUMULUS.

E1_69 v.1 Sporannen, sed qua praestantior altera numquam
 2 exstiterat properis eripuit manibus.
 3 Vidit ut ereptae dotes, lacrimasque bonorum
 4 parca, suum agnovit crimen, et erubuit.

AD JOANNEM TOMARINUM.

E1_70 v.1 Lucidus Emathiam Phoebus pervenit ad Oetam
 2 et summum Eoo scandit ab orbe polum.
 3 Clarius ut dicam, positis ambagibus, annos
 4 jampridem excessit nostra juventa suos.
 5 Tu tamen a somno non expergisceris alto
 6 et pluma in molli segnia membra foves.
 7 Quantumvis etiam, Tomarine, voceris ad alta :
 8 serpis humi nec vox excitat ulla, pigrum.
 9 Ac Musis operam navandam, mane sub ipsum,
 10 in medium deses rejicis usque diem.
 11 Verum illud videas : dum quae sunt optima differs,
 12 ne pigeat, sero paenituisse nimis.

DE SIMILACE.

E1_71 v.1 Quae loquitur Similax, Zeno certe illa loquatur ;
 2 sed quod agit Similax, vix Epicurus agat.

AD EUAGRIUM SYLVANUM.

E1_72 v.1 Appellare deum quicumque est ausus Amorem :
 2 imprudens, audax, nec bene cautus erat.
 3 Cui non constat enim, nullum scelus esse deorum ?
 4 Iste tamen nostro sanguine gaudet Amor.
 5 Ejus iniqua vibrat bis acutum dextera ferrum,
 6 multis est spoliis plena sinistra manus.
 7 Quorsum haec ? Cum moechno deprehensam forte maritus
 8 uxorem occidit Verrius Euryalen.
 9 Et diris subito furiis agitatur, ut inde
 10 occisorem ultrix poena secuta virum est.
 11 Nec prima aut sola est noxa haec, Sylvane, sed istis
 12 lusibus humanos saepe lacessit Amor.

IN EUCNUM.

E1_73 v.1 Obscuros si quando locos auctoris habemus
 2 cujusquam atque tuum consilium expetimus
 3 ante diu rana es Seriphia, denique te, Eucne,
 4 grammaticum esse negas. Credimus, Eucne, tibi.

DE D. JOANNE TALARUTIO, BEATI JOANNIS APUD LUGDUNUM COMITE,
AD LIBRUM SUUM POETA.

E1_74 v.1 Quaere Forum Veneris, montis sublime cacumen,
 2 unde et Lugdunum Sol videt occiduus.
 3 Clarus Joannes montem Talarutius illum,
 4 ad divi Thomae limina sancta colit.
 5 Nec colit hunc solus, Musis admixtus amoenis,

6 si Musas vere sacra poesis habet.
7 Quaere libelle virum, sumendus fronte serena,
8 ut Phoebos sacris verus amicus homo est.

IN ADOLPHUM.

E1_75 v.1 Nec grave nec mirum est mihi, quod te purpura totum
2 contegat et gemmis totus, Adolphe, mices.
3 Sublimem hunc fastum evertet Fortuna, vel olim
4 flatu tempestas impetuosa gravi.
5 Ut muro adfabre picto pictura recedit,
6 nudus et excusso murus honore manet.
7 Sic te destituet causa hujus purpura fastus,
8 paxillo donec nudior exstiteris.

CHRISTOPHORI LONGOLII TUMULUS.

E1_76 v.1 Ergo Longolii cor, indignante Minerva,
2 exstinxit propera Mors violenta manu.
3 Jacturam fecit non parvam lingua Latina,
4 hoc duce lingua suo restituenda throno.
5 Sed contra, veluti nova planta exstinctus, obivit,
6 supra annos dignus vivere Nestoreos.
7 Nec fecere tamen finem illi numina quam ejus
8 vicerit invidiam lingua diserta prius.

DE LUCANO PARASITO.

E1_77 v.1 Scimus quid faciat gula impudentis
2 impurique minusque liberi, imo
3 plane sordiduli famelicique.
4 Si quando domicenio laborat,
5 nil non ferre, patique Lucilinus
6 ubivis solet et cupit ; modo ipse
7 cenandum sibi sentiat beate,
8 lautis adjicialibusque cenis,
9 claris pontificalibusque cenis.

AD J. CASTELLIONEM SEGUSIANUN.

E1_78 v.1 Quisquis non eadem loquitur mihi, qualia sentit :
2 quisquis verbo alius, mente alius variat.
3 Ille odio meruit, Castellio, totus haberi,
4 janua Summani quo tenebrosa dei.
5 Scis quem designem, parceretur nomini : eumdem
6 monstrum, non hominem, dicere jure queas.
7 At certe, ambiguus ut vincat Protea formis,
8 fucum non faciet perditus ille mihi.
9 Novi hominem atque magis monstrum intus et in cute novi :
10 Momi quaerenda est nulla fenestra mihi.

DE GRAECO COMMENTARIO GULIELMI BUDAEI.

E1_79 v.1 Egit ut in lucem se commentarius ille
 2 Budaei, ad Sudam Graecia respiciens :
 3 "Hactenus a te, inquit, sum conservata, ne abirem
 4 in tenebras, neu me tempus edax tereret."
 5 Sed conservatam magno illustravit honore
 6 Budaeus, priscis clarus imaginibus.
 7 Ut meus Aeneae conanti regna Latina
 8 haud minimum Evander praestitit auxilium,
 9 sic quoque Budaeus mea regna, vir ille Latinus,
 10 tecum illustravit de meliore nota.

IN OPLUM.

E1_80 v.1 In me multorum scripta, Ople, minaris ; at aequus
 2 hosti etiam est, si cui consulit aequa fides.

PRINCIPIIS OBSISTENDUM.

E1_81 v.1 Ut primum ex alto dilapsa est tegula tecto,
 2 ipsa quidem prompte est restituenda domus.
 3 Nam si differtur longum reparatio prima,
 4 parvo ex compluvio lata fenestra subit.
 5 Et quemcumque nimis spes differt, fallitur ille
 6 saepius et misero spes sua tota fluit.

IN EICONEM CAPITIS MORTUI, SED TRANSLUCIDI.

E1_82 v.1 Luce sua caput hoc cassum quod limpida fundit
 2 ore, oculis etiam lumina. Causa quidem est
 3 hinc certe ut constet, post mortem vivere fama
 4 aeterna et laudum posteritate frui,
 5 quicumque exstiterint sacrae virtutis amantes,
 6 interea nullis impliciti vitiis.
 7 Hinc Cato Romanis, Graecis Periander habetur
 8 clarus, quamquam illos vasta sepulchra tegunt.
 9 Commendamus enim, post mortem rectius, omnes
 10 ne vivi tumeant laudis amore suae.

AD THOMAM SERTINUM, TUSCUM.

E1_83 v.1 Cum tibi de sereto cognomen fata dedere,
 2 ingenii fuerant praescia fata tui.
 3 Quod sereto dignus tandem esses, imo corona,
 4 si quem dignum habuit Tuscia vestra prius.
 5 De te autem demum, Sertine diserte, coorta est
 6 Phoebum inter, necnon Pallada, pugna ferox.
 7 Cingere te siquidem cupiebat uterque corona,
 8 praeponi et donis alteri uterque cupit.
 9 Mercurii arbitrio tum lis deciditur ; ille
 10 pro celso reddit talia verba trono :

11 "Accipiat geminam gemina de fronde coronam,
12 orator scriptis atque poeta suis."

PRECATIONIS DOMINICAE PARAPHRASIS.

E1_84 v.1 Rerum summe parens, rerum summe arbiter idem,
2 summus sit noster laus tua sancta scopus.
3 In nobis regnes, istum usque colentibus orbem,
4 in te regnemus, regno in Olympiaco.
5 Quae vis, haec tam eadem faciamus pectore toto,
6 quam nutu paret caelica turba tuo.
7 Illum hodie nobis ubertim suffice panem,
8 qui corpus, qui animam quoque die satiet.
9 A quibus opprimimur, veluti dimittimus illis,
10 dimittas nobis debita nostra reis.
11 In nos vafrities Cacodaemonis improba cauti
12 neu tendat laqueos, neu struat insidias.
13 Quod si nos malis tentando probare rogamus,
14 ne succumbamus, summe parens, oneri.

DE JOANNE LONGOVALLIO JURISCONSULTO.

E1_85 v.1 Vatibus hic mos est ille antiquissimus illis
2 Musas ut fingant montis inesse jugo
3 illius, gemino qui vertice surgit ad astra,
4 quorum alter Bacchi est, alter Apollinis est.
5 Sed melius longa Musas in valle locarim,
6 cujus Joannes nobile numen erit.
7 Prae quam civiles nodos uritque secatque,
8 et de nodosis scirpea jura facit.

FAUNI AD NYMPBAS EXPOSTULATIO,
PARTIM EX RHYTHMO D. MELLINI SANGELASII.

E1_86 v.1 Crudeles nimium Nymphae, cur vester amabo,
2 me nihili toties ducere perguit amor ?
3 Quid demum in nostro vitiosum corpore nostis,
4 ut parvi mea sic fiat amicitia ?
5 Si quia flammato totus circumtegor igni,
6 ignitus Clymenen Phoebus amore trahit.
7 Si quia sum totus villis scaber, hirtus habetur
8 Alcides, nec eum Deianeira fugit.
9 Si quia sum atroci vultu, Neptunus atrocem
10 vultum habet, illum autem diligit uda Tethys.
11 Si quia cornutam cervicem gesto, Lyaeum
12 Gnossia cornutum magni Ariadna facit.
13 Si quia sum claudus, Veneri Vulcanus amatur
14 claudus et immunda consitus ora lue.
15 Sed vestrum ingenium, sed vestras denique technas
16 conjicio : vobis munera sola placent.
17 Ex Iro in Croesam si me Fortuna vocarit
18 Attalicaeque mihi concilientur opes,
19 tunc simulac pleno apparebunt munera cornu,

20 ex Fauno informi, pulcher Adonis ero.

DE DUABUS ORATIONIBUS C. MARLETI DIVIONENSIS.

E1_87 v.1 Quae prior istarum caelis oratio divos
2 asserit, hanc ornat scita Minerva tropis.
3 Altera praepropere raptum quae deflet amicum,
4 illa divinam Pallada flesse putes.
5 Ambarum auctorem edemus : Marletus hic ille est,
6 cui natale solum est Divio, dives eo.

DE EISDEM.

E1_88 v.1 Raras invenias, nisi parvo corpore, gemmas,
2 pharmaca pyxidulae nobiliora premunt.
3 Utraque Marleti parva est oratio : multos
4 continet insignes utraque parva locos.
5 Est utraque mellita crocumque perambulat, alte
6 quem sparsit plena Suada diserta manu.
7 Nec cuiquam sit opus, noctu versare, diuque
8 quod quisquam immensum scripserit auctor opus.
9 Jam Ciceronis enim necnon Demosthenis omnes
10 hinc sibi thesauros lector habere potest.

AD JOANNEM MEYNUM CARNUTEN. CANONICUM, DE MACRINO.

E1_89 v.1 Legi Salmonium satis frequenter,
2 nec sane minima cupidine illum.
3 Augurellum etiam tuum libenter,
4 haudquaquam stupida oscitatione.
5 Quaeris iudicium de utroque nostrum ?
6 Censuram rogitas de utroque nostram ?
7 Censura si aliquid valere postum,
8 si quid iudicio valere possum
9 et plane nisi sum, Meyne, falsus.
10 Per Phoebum mihi, per Minervam et ipsas
11 dejerare novem liquet sorores,
12 meo Salmonio tuum Augurellum
13 jam concedere debuisse pridem.

PONTII REGINI GRANATI DOMINI TUMULUM.

E1_90 v.1 Suaderem largos in tanto funere fletus,
2 cum regino isti vita resecta fuit.
3 Arvernum ni fama viri diffusa per orbem
4 pensaret vitae fila resecta brevis.
5 Quid sancti mores illi, quid denique virtus
6 praestiterint, paucis, candide lector, habe.
7 Hoc rapto insignem dum sperat forte triumphum,
8 laesa fuit telis mors male cauta suis.
9 Nam vita orbatus mortali, ascendit Olympum,
10 vivit ubi aeternas spiritus inter opes.

AD MAECENATEM.

E1_91 v.1 Ad Superos votum prono Gergobia vultu
 2 concipit, et voti se cupit esse ream.
 3 Scilicet ut tandem, ac tandem juvenumque senumque
 4 de te, Maecenas, vox sonet illa, "Venit".
 5 Damnari potius vellet Gergobia votis,
 6 ut canerent : "Venit, nunc operare sacris."

IN FANTERIANUM.

E1_92 v.1 Illos praecipue nosti laudare poetas,
 2 quos vita functos ipsa sepulchra tegunt.
 3 Temporibus nostris florentes spernis et illos
 4 Parnasso dignum nomen habere negas.
 5 Ut tibi laudandus veniam verusque poeta,
 6 ante diem nolim, Fanteriane, mori.

QUUR FETIFER NILUS.

E1_93 v.1 Fetiferum Nilum cur dixit Plinius ? Illo
 2 si biberit sterilis femina, mater erit.

DE ARISTOMENE PUELLA JOCUS.

E1_94 v.1 Quod tonat ex alto, ex altoque tonitrua fiunt,
 2 quod terrae vita corpora cassa damus,
 3 infernum summis, paradisum in sedibus imis
 4 credit Aristomene, scita puella nimis.

IN ODILLONEM.

E1_95 v.1 Numquam Hecale fiat tua Lais, Odillo : futurum est.
 2 De Codro tandem Croesus ut esse queas.
 3 Unum illud vereor, ne ex Lai protinus Io,
 4 buccula se tauris exhibeat comitem.

MERCURIUM IN TABULA.

E1_96 v.1 Quod curem merces (postquam mihi syllaba quondam
 2 longa, brevis facta est) Mercurius vocitor.
 3 Sunt pedibus pennae, quoniam mercator ad Indos
 4 currit et ignavas abjicit usque moras.
 5 Pro sceptro virgam teneo, quia maxima regna
 6 mercibus, et magnae saepe parantur opes.
 7 Est vigilans gallus : quoniam mercator ineptit,
 8 si sperarit opes absque labore gravi.
 9 Frons autem obtegatur, quia lati nube galeri
 10 fucum impostorem mercibus addo malis.

IN SCORPUM.

E1_97 v.1 Si quid carmine scribis, invocantur
 2 Musae, Mercurius, Minerva, Apollo.
 3 Scribes, Scorpe, disertius : modo absint
 4 Musae, Mercurius, Minerva, Apollo :
 5 Sentinum tamen invocare discas.

DE HERMERO.

E1_98 v.1 Hermerus Allobrox aetate inflexus et annis
 2 obsitus, haec habuit vota suprema sibi :
 3 passeris et cycni, neque non taurique canisque
 4 viveret ut senium, plus satis ille salax.
 5 Et votorum illam rationem talium habebat,
 6 naturae penitis constat ut ex adytis.
 7 Pulchrior est cycnus, canis est caudatior annis
 8 in venerem passer pronior ire solet :
 9 taurus, quo est senior, discernit promptius illo
 10 quaenam vacca omnes vincat, amore maris.

AD MATURINUM DEXTERIANUM.

E1_99 v.1 Impia suadenti dum auscultat credula Nesso,
 2 inficit Alciden Deianeira suum.
 3 Hippolytum, Triviae cura horroremque Diones,
 4 uxoris vafra perdidit arte pater.
 5 Elusa autem Adamus parens uxorius Evae,
 6 infixit nostris crimen originibus.
 7 Putipharusque suae uxoris mendacia sorbens,
 8 Josippum obscuro carcere continuit.
 9 Necnon Herodes meretricis vota secutus,
 10 Baptistae immerito messuit ense caput.
 11 Ne pandas igitur palpum obtrudentibus aures,
 12 uxoris credas, Dexteriane, minus.

IN DURUM.

E1_100 v.1 Cum sis ingenio, quantum cognomine, Durus,
 2 miror, doctrinae micam ut habere queas.

AD CUPIDINEM.

E1_101 v.1 Cum mare, cum terra, cum caelum, cum omnia vincas,
 2 quin subit imperium Gellia nostra tuum ?
 3 Mirandum hoc magis est : in eam tua tela, Cupido,
 4 dum torques, in me singula torta ruunt.
 5 Sic, ut habere suo cor illam in pectore nostrum,
 6 quo se adversum ictus muniat illa, putem.

AD MONASTERINUM, DE STEPH. CURTIO, ISSIODORENSI.

E1_102 v.1 Curtius in Graeca quid sit, Latiaque Minerva,
 2 Monasterine, hic accipe :
 3 Curtius ille, inquam, est "Ellaenidos aetor Athaenas",
 4 est cor Latinae Palladis.
 5 Iudicium inde meum : quaecumque recondita servat
 6 Minerva promit omnia.
 7 Et Latium longo per eum jam tempore Graecum est,
 8 Latina contra Graecia.

AD M. GERGOBIAM, DE MAECENATIS ADVENTU.

E1_103 v.1 Conceptum absolves tandem, Gergobia, votum :
 2 Maecenas etenim venit adestque meus.
 3 Ille tuus pastor, quo non Argus magis alter,
 4 solum cui studium cura salusque gregis.
 5 Tandem ergo venit ; praeerit tibi sedulus olim
 6 illius aspectu laeta fruire modo.
 7 Quamquam laetitia gestis, qua vix prius umquam
 8 gaudia sunt certe non leviora mihi.

IN ASTRONOMOS, E GRAECO PALLADAE.

E1_104 v.1 Cur caelum immensum metiris et ultima terrae,
 2 exigua e terra qui breve corpus habes ?
 3 Te prius enumera, prius emetire : subinde
 4 enumeres terram, quae sine fine patet.
 5 Caenum exile tui cum ignores corporis, unde
 6 res plane innumeras enumerare potes.

DE MARCO.

E1_105 v.1 Marcus ad incudem revocat quodcumque poema,
 2 durius ad summum, deteriusque facit.

AD NICAM.

E1_106 v.1 Formosa Nica, Nica formosissima,
 2 candore miro Thracias superans nives,
 3 facundia mel Atticum, vultu Hermionen,
 4 noctes, diesque exegerim tecum libens,
 5 absentia confusior, praesentia
 6 diffusior tua ; meo attamen bono
 7 cursus amoris nunc retroflecto, vale.
 8 Mercede nulla, aut praemio, diutius
 9 servire miserum est ; me nisi demum advoces
 10 eo benigna quo fides quidem mea
 11 meruit, sed ipsa lingua formidat loqui.
 12 Tibi nota enim est probe invidorum atrocitas
 13 laedentium quemvis aculeo suo,

14 formosa Nica, Nica formosissima.

CUIVIS LIBERE POETARI LICERE.

E1_107 v.1 Ignarus pelagi et ducendae navis ineptus
 2 spumea formidat caerula toto animo.
 3 Ignorans Phidiae, aut Lysippi, aut Mentoris artes
 4 Attica non scalpit marmora et Indicum ebur.
 5 Rauco verba foro numquam meditabitur usquam
 6 qui Ciceronis erit nescius aut Fabii.
 7 Qui numquam Hippocratem aut Galenum aut forte Miconem
 8 legerit, aegrotis pharmaca nulla dabit.
 9 Attamen indocti doctique poemata pangunt,
 10 humanae ut mentes laudis amore flagrant.
 11 Huic dandam vitio veniam tamen arbitrer, error
 12 quod solos talis vergat in artifices.
 13 Doctum non laedunt indocti carmina vatem
 14 sputores maculant deflua sputa suos.

AD D. ANNAM REGINUM.

E1_108 v.1 Numquam divitias angusta comprimit arca
 2 vates, dipsaeo nec sit avarum animo ;
 3 non pavet ad casus, incendia, damna, ruinas,
 4 et pane et lardo victitat, et siliquis.
 5 Quamvis potet aquam, aut fugientia vina, relinquit
 6 lautis divitibus Massica vina libens.
 7 Militiae piger est, nec torquet tela nec arcum,
 8 nec gerit immiti bella cruenta manu.
 9 Tutus amat potius vates tuta otia, laetam
 10 dissidiis pacem tristibus anteputat.
 11 Talem segnitiam vel votis omnibus optem :
 12 illa rex fuerim maximus, imo Deus.
 13 Quod si Maecenas nostris, te interprete, votis
 14 adfuerit : Codro Crassus, Hylo Licinus ;
 15 Issiodoriacum quantos longo ordine Pratum
 16 attulerit proceres, carmina nostra canent,
 17 carmina Nasonem, aut potius, Regine, Maronem
 18 victura, ut vatem plena crumena facit.

IN PABULIANUM.

E1_109 v.1 Si meus excelsum contingit clamor Olympum
 2 et verba exaudit Juppiter ipsa mea,
 3 per mare, per terram votis hoc omnibus optem,
 4 ut tibi det mentem, Pabuliane, tuam.

HERCULIS ET ANTEI CERTAMEN, EX GRAECO DIOTIMI.

E1_110 v.1 Certarunt inter se Antaeus, filius ille
 2 Neptuni, Alcides, filius ille Jovis.
 3 Praemium utrisque fuit, non fulvo ex aere lebetes,

4 verum utrius demum vitave morsve foret.
5 Antaeo extincto, Alcidae victoria cessit,
6 ut semper vincit Graecia, non Libye.

AD MAECENATEM.

E1_111 v.1 Fratrem ergo castris belloque relinque, secundis
2 auspiciis illum quo sua fata vocant.
3 Blandae illum Veneris commendet epistola Marti :
4 sic Thraseam laudet, salvus ut esse velit.
5 Commissas tibi oves, pastorum gloria pastor,
6 ad sacri eloquii sacra fluenta voca.
7 Nam verbo aut scripto si Christum infuderis, illo
8 in pastore nihil dignius esse potest.
9 Sed quid te admoneo, sus gnavam ignava Minervam ?
10 Munere nam sacra fungeris arte tuo.

AD COMMARDUM.

E1_112 v.1 Congressu primo te aquilam, Commarde, putavi ;
2 cum bene te norim, vix mihi passer eris.

AD COSIANUM, DE AGILLA.

E1_113 v.1 Dogmata nunc spernit Romani sancta Catonis,
2 aurea nunc Samii carmina Pythagorae.
3 Virtuti repudi, Cosiane, remisit Agillas
4 librum, resque illam jussit habere suas.
5 Altum sic oculo vitiis indormit utroque :
6 in primis Veneri vota precesque facit.

AD D. ERASMUM.

E1_114 v.1 Debent multa tibi linguae Graeca atque Latina,
2 illustres opera conspicuaeque tua.
3 Debent multa tibi sacri simul atque profani
4 auctores, vitae redditi ab interitu.
5 Ut numero dicam, longa quod dicere possem
6 Iliade, hinc debent omnia multa tibi :
7 sancta redemptoris quod, Erasme, ad dogmata Christi
8 verum iter humanis omnibus esse studes.

AD HUGONEM CADOMAEUM.

E1_115 v.1 Ne pavonina vesana Superbia cauda
2 turgeat, et diris frendeat Ira modis ;
3 ne maculet mentes humanas foeda Libido
4 et siccae incendat crimen Avaritiae ;
5 ne mollis pigros intentet Acedia sensus,
6 et flagrum ipsa sibi saeviat Invidia ;
7 crapula ne ventres propter convivia natos

8 gurgitet usque cibus, obruat usque mero.
 9 Nullis non decies hoc, Cadomaeae, diebus
 10 affectas : voti justa tui ratio est.
 11 Non fuerant haec orbe novo caeloque recenti,
 12 robore progenitis compositisque luto,
 13 Non fuerant etiam tunc, cum Saturnus habebat
 14 caelicolas inter rex diadema deos.
 15 Coeperunt, postquam Dictaeo Juppiter antro
 16 emergens, propria depulit arce patrem.
 17 Ferrea deinde malis succedens moribus aetas
 18 pessima quaeque auxit deteriore modo.
 19 Temporibus demum facta est accessio nostris,
 20 quae nil quo tandem progrediatur habet.
 21 Tertia ad aetatem nostram si expenditur aetas,
 22 non quartam, verum vivimus undecimam.

AD FRANCISEUM BOHERUM, DE RAVISIO TEXTORE.

E1_116 v.1 Traditur illa frequens hominum sententia paucos
 2 esse tribus celebres dotibus ingenii.
 3 Dicendi siquidem praestans Orator honore
 4 vix in divino carmine clarus erit.
 5 Auxilio contra cui sit divina Poesis,
 6 vix idem orandi dote beatus erit.
 7 Historicus princeps, Orator Livius esse,
 8 nec Vatum potuit nomen habere choro.
 9 At tibi sane unum ostendam, dilecte Bohere,
 10 florentem apprime dotibus hisce tribus.
 11 Hunc tu Ravisium Textorem dixeris esse,
 12 si quem alium talem maximus orbis habet.
 13 Cum sit enim historia multo clarissimus ille,
 14 et teneat quicquid Delphica templa sonant.
 15 Orator tantus certe est ut jure putetur
 16 Pithus et nostrae Pallados esse genus.

AD MAECENATEM.

E1_117 v.1 Omnium ut enumerent, praesul clarissime, laudes,
 2 quod sis Maecenas, laus tua major erit.

IN BAGUM.

E1_118 v.1 Sic sane es pauper, digito plerumque salinum
 2 ut terebres. Nolim cetera, Bage, loqui.

DE UCERNA.

E1_119 v.1 Forma mutatus consistat Proteus una,
 2 tranquilla Euripus nunc requiescat aqua ;
 3 postquam se ad frugem meliorem Ucerne recepit,
 4 qua re nulla magis prodigiosa fuit.

'eros mellitokleptês' EX THEOCRITI HEXAMETRO.

E1_120 v.1 Furaturus erat lascivus mella Cupido
 2 inde, ubi parva casas aedificarat apis.
 3 Alveolisque manum vix plene admoverat ipsis,
 4 cum furem ingenito figit aculeolo.
 5 Vulnere dextra tumet, quam molli afflamine divus
 6 mulcet et impatiens ter pede calcat humum.
 7 Ad matrem volitans casum denarrat acerbum,
 8 magna ex exigua vulnera questus ape.
 9 Cui Cytherea Venus : "Pateris te digna, Cupido :
 10 sicut apis parvus, vulnera magna facis."

ALIUD, PAULO DIVERSIORE SENTENTIA.

E1_121 v.1 Dum furatur api nudus sua mella Cupido,
 2 innata furem subdola pungit acu.
 3 Ad matrem volitans, in apemque invectus acerbe,
 4 supplicium implorat. Cui tamen ipsa Venus :
 5 "Si potes ipsa tuis contra caelum omnia telis,
 6 qui fit ut in minimam sollicitemur apem ?"

DE PASQUETO.

E1_122 v.1 Pasquetum ne quid miremur corpore nanum,
 2 nam multo sane est nanior ingenio.
 3 Nec plus totus habet quam vel formica cerebri,
 4 aut, qui tecta colit pauperiora, culex.

AD L. FRANCUM.

E1_123 v.1 Cui nemo placeat doctissimus, optimus, illum
 2 Timona, France, dixerim.

IN SPLENIAM.

E1_124 v.1 Occurris quoties, aperis mihi, splenia, mammas,
 2 haud minimum sperans inde placere mihi.
 3 Frustra est incassum tanta expromuntur omaza :
 4 si volet, impurus comparet illa coquus.
 5 Id genus ostento non sum quem exurere possis,
 6 rebus ut obscaenis mens inimica mihi est.

LACAENAE FORTITUDO.

E1_125 v.1 A bello reducem cum maesta Lacaena videret
 2 nudum armis natum nullaue tela manu,
 3 obvia tum reduci, gladio trajecit inermem,
 4 trajectumque super talia fortis ait :
 5 "I vero ad manes, abjectis degener armis :

6 quam fuga servavit, sic tibi vitam adimo."

AD PH. STROSSUM.

E1_126 v.1 Illud non paucis studuisti, Strosse, diebus
 2 quae te nulla movet futilis ambitio.
 3 Ut nescireris Gallorum in finibus esse,
 4 qua Rhodano lentus cornua miscet Arar.
 5 Sed quam illius virtus ratione lateret,
 6 cui curae est orbis semisepulta quies ?
 7 Panditur et signis semper monstratur apertis,
 8 solis ut in prasino lumina pura vitro.
 9 Musas quin etiam vidi, Charitesque serenas
 10 circum saepe tuum, Strosse, volare caput,
 11 et te suppliciter blando sermone precantes,
 12 Atlanti ut Latio firma columna fores.
 13 Nam, sine te, tantum solus non sustinet orbem :
 14 ejus, sub tanto pondere, genua labant.

AD GELLIAM.

E1_127 v.1 Heu, si non sit Amor, cur totus et intimus uror ?
 2 Si sit, scire velim, Gellia, quid sit Amor.
 3 Si mala res, quid eum tanto sudore requiro ?
 4 Si bona, quaesitus cur dolor ille mihi est ?
 5 Nunc ridens, ploro, contra nunc rideo, plorans ;
 6 saepe dolens, laetor, laetus item, doleo.
 7 Algeo, quamvis me intestinus torreat ignis ;
 8 uror, concreta frigidior glacie.
 9 Nescio quid sit Amor. Tantum illud, Gellia, novi
 10 quam mihi causa boni es, quam mihi causa mali es.

ERIGONES TUMULUM.

E1_128 v.1 Pro fuisque coloque, itidem lanaque linoque,
 2 pro calathis etiam vimineis, et acu,
 3 ecce tibi, Erigone, spargemus lilia, thymbram
 4 et cassiam, addentes distichon illud item :
 5 "Hic jacet Erigone, vultu illa simillima Nymphis,
 6 doctrina Musis, cetera Penelope.

AD MAECENATEM, QUO DIE GERGOBIAM EST INGRESSUS.

E1_129 v.1 Post tristes tenebras obscuro carcere clausis
 2 si lucem effundit clarus Apollo suam,
 3 a tenebris tristes, in lumine gaudia captant,
 4 maerorem excutiunt laetitiaeque vacant.
 5 Absentem sic te dudum Gergobia lugens,
 6 adventu revocat gaudia cuncta tuo :
 7 et tibi, Maecenas, vitam sano usque precatur
 8 Nestorem vel si longior esse potest.

AD EUNDEM.

E1_130 v.1 Quod candefaciens totam nix candida terram
 2 praevenit ingressum plurima ubique tuum.
 3 Inde tuus sane est, Maecenas, candor apertus,
 4 candorem verum grex tuus unde trahat.

DE BORBONIO VANDOPERANO.

E1_131 v.1 Fleverat ipsa suas dotes divina Poesis,
 2 et Latonigenae jura sepulta Dei,
 3 illi Borbonius, decus orae Lingonis ingens,
 4 pro luctu et lacrimis, reddidit omne decus.
 5 Sic prius indigno foedatas carmine lauros
 6 ornat et antiqua fronde virere facit.
 7 Invidet hanc sortem germanae, fertque moleste
 8 rhetorice : "Infelix cur ego spenor ?" ait.
 9 Borbonius maestam exhilarat facundus, et ambas
 10 ex aequo illustrat nobilitatque deas.

AD LECTOREM.

E1_132 v.1 Hoc de Borbonio scribebam epigramma, quod isti
 2 vicinum cernis, lector amice, tuo.
 3 Commarius porro, inducto cognomine nostri
 4 Borbonii, sese callidus inseruit.
 5 Quid faciat, si lex testamentaria crimen
 6 vindicet ? Exspectet stigmata, flagra, crucem.

FIDELIS CURIONIS INSTITUTIO, AD PHILIBERTUM CARRIUM.

E1_133 v.1 Ut possis veri officium pastoris obire,
 2 tuoque fungi munere,
 3 turpis avaritiae studium vitabis iniquum
 4 et lucra, Carri, pessima.
 5 Si te cura gregis studiumque fidele tenebit,
 6 oviumque amor verissimus,
 7 paneque doctrinae et divini flumine verbi
 8 pasces easdem sedulo.
 9 Ut grex securus maneat nulloque timore
 10 percussus angatur animi,
 11 taetros, passim autem nivea sub veste latentes,
 12 arcebis instanter lupos.
 13 Praeterea speculum, exemplar, lux, forma, lucerna
 14 operum bonorum ac dux tuis,
 15 ad Pauli exemplum, proprio sic vive labore,
 16 ne sis onus nimium tuis.
 17 Pastorum hinc Christus pastor verissimus ille
 18 stipendium reddet tibi.

IN POMPILIANUM.

E1_134 v.1 Vel quoties versum ad communes scribis amicos,
 2 emissum raptim significare soles.
 3 Ne vivam, ne sim felix, nisi certa, sine ullo
 4 sit monitore tibi, Pompiliane, fides.
 5 Si me audire tamen non dedignaberis, olim
 6 saepe stylum vertes, Flaccus ut ipse monet.

MORTUIS MININE INSULTANDUM.

E1_135 v.1 Invisi Tarcon statuam cum cerneret hostis,
 2 subsistens in eam despuit ore truci.
 3 Emundans etiam ignava convicia lingua,
 4 marmoream educto saepius ense ferit.
 5 Indignos ictus ulciscens ipsa, ferocem
 6 contrivit subito lapsa virum statua.
 7 Impia caelestem pietatem audacia sentit,
 8 indigne oppressos vindicat ipse Deus.

AD THEODORUM VARGINUM.

E1_136 v.1 Fatis nate malis, nate et Vargine sinistris
 2 quis tua sensivorus pectora vexat Amor ?
 3 Sordida cur dominis pedibus te femina calcat ?
 4 Et juris numquam te sinat esse tui ?
 5 Quanam Tisiphone, quanam stimulatus Erinny,
 6 illaudatam adeo ferre potes dominam ?
 7 Cur scortum Euganea sectaris mollius agna,
 8 spurcius obscaeno putidiusque luto ?
 9 Quis deturbavit proprio de cardine mentem ?
 10 Quis sensum exstinxit, caelica dona, tuum ?
 11 Quorsum divitiae, studio quas fundis inani,
 12 et detestando dapsilis officio ?

AD D. MARGARETAM, REGINAM NAVARRAE.

E1_137 v.1 Regius est sanguis, si quis te a sanguine laudet ;
 2 a forma si quis, Nyrea forma tibi est.
 3 Doctrinam sileam, haud humanam Margaris illam,
 4 sed qua innotescit filius ille Dei ?
 5 Virtutem sileam, qualis non prodiit umquam,
 6 post homines natos, femineo ex animo ?
 7 Sed laudem ventos minime venaris inanes
 8 nec mentem ambitio nexat iniqua tuam.
 9 Contenta exstiteris : si in te, Regina, probarint
 10 exteriora homines, interiora Deus.

AD FLORENTIUM VOLUSENUM.

E1_138 v.1 Auxilii cupiens, erecta mente levavi
 2 in montes oculos terque quaterque meos.

3 Sed solum a Domino auxilium, Volusine, videbam,
 4 qui nulla solus cuncta creavit ope.
 5 Sedulus hic custos numquam dormitet, ut errans
 6 huc illuc pedibus commoveare tuis.
 7 Non dormitabit neque dormiet optimus ille
 8 pastor, Idumaei cura salusque gregis
 9 custodit Dominus tua te protectio, ne umquam
 10 luceve sol urat, lunave nocte sua.
 11 Quantum hic mortalis vives, custodiet omni
 12 exitum et egressum sedulitate tuum.

CHRISTUS AD UNUMQUEMQUE CHRISTIANUM.

E1_139 v.1 Sum via, qua petitur directo tramite caelum :
 2 cur alia in caelum niteris ire via ?
 3 Sum verum, vanumque nihil mea verba loquuntur :
 4 cur vanis rebus, vanior ipse, studes ?
 5 Sum quoque vita meis longe certissima, numquam
 6 interitura : illam cur aliunde petis ?

DE INVIDIA, EX GRAECO PINDARI.

E1_140 v.1 Quemcumque intimius livor quatit, ille volutat
 2 vanum in nocturnis consilium tenebris.

AD D.IOANNEM GANIUM, THEOLOGUM.

E1_141 v.1 Glaucus es, et possim Diomedes jure vocari.
 2 "Quare ?" inquis. Paucis, Ganie docte, loquar.
 3 Aurea misisti, mitto aerea carmina, quorum
 4 manat ab ingenio copia larga meo.
 5 Quod vero immeritum tantis me laudibus ornas,
 6 quantis non etiam frondibus Ida viret :
 7 id candore facis, verum candore poetae,
 8 qui parva e musca magnum elephanta facit.
 9 Atqui aufer tanto cumulatas pondere laudes,
 10 et si vis alicui fingere, finge tibi.

POETA, DE SEIPSO, ET GELLIA.

E1_142 v.1 Ergo lubens moriar, morti si forte videtur,
 2 cum desiderio non favet aura meo.
 3 Sit satius terrae exstinctum committere corpus :
 4 quam lacrimis, tamquam cera liquens, fluere.
 5 Quae mihi, si vellet, facile succurreret, illa est
 6 tormentis semper lata fenestra meis.
 7 Cum nullum est plane auxilium, retroque refertur
 8 spes hominis, misero est ancora sacra, mori.

ALIUD.

E1_143 v.1 Si vehemens aliquas ignis comprehenderit aedes,
 2 igni illi aqua succurritur,
 3 donec vasta suas perdant incendia vires,
 4 et ignis exspiret vigor.
 5 Quae vero interius mihi cor incendit, ea igni
 6 ignem priori addit novum.
 7 Hoc superest, jam corde incense, incendere corpus,
 8 donec merus fiam cinis.
 9 Sic animam efflabo, facturus, munere mortis,
 10 finem laboribus meis.

AD G. LATERANUM.

E1_144 v.1 Cum, Laterane, tibi nunc carmina mitto poetae,
 2 omnia cui paucos saecula tulere pares,
 3 in silvas lignum me mittere, mittere Athenas
 4 me dices ululas, poma vel Alcinoos.
 5 Jure tuo dicas quantumvis. Si tamen uti
 6 exemplis gravibus Ducherio liceat,
 7 Mercurio citharas, Phoebos plectrumque, lyramque
 8 ponimus, Ogygio dulcia musta Deo.
 9 Retia Latoi, Zephyriti lilia Florae
 10 ponimus et Getico bellica tela patri.
 11 Talibus ut vero sacrantur talia divis,
 12 sic sacrata tibi carmina nostra puta.

FRANCISCI PORTANI HUGONIS, CIVIS LUGDUNENSIS, FILII MANES,
AD LECTOREM.

E1_145 v.1 Perlegere hos versus ne, quaeso, gravere, viator,
 2 si pius Elysiis manibus esse potes.
 3 Parca, immota nimis precibus votisque meorum,
 4 me puerum justum sustulit ante diem.
 5 Sed dum crudelis menses abrumpit et annos
 6 quos Natura, mihi mater amica, dedit,
 7 falsa quidem certe est : pro vita namque caduca,
 8 ter me felicem vita perennis habet.
 9 Ille dolor superest in regna beata vocato,
 10 hanc mihi quod vitam nescit uterque parens.
 11 Si scirent, facerent lacrimis finemque modumque,
 12 si modo felicem me magis esse velint.

AD BLANCHEUM FLORIDUM CARNUTENSEM.

E1_146 v.1 Quod sic, Floride, versibus disertis
 2 tuum Ducherium suprema in astra,
 3 contra ejus meritum, evehis, benigne
 4 ipsum illud facis, at nimis, benigne
 5 quando sic tribuis mihi immerenti
 6 et Panis calamos, lyramque Phoebi,
 7 tamquam Amphionas Orpheasque vincam,
 8 vir contra ingenio rudi atque agresti ;
 9 Musas inter, amusus, inter ipsos

10 Marsyas, Babys, inter autem olores,
11 anserve obstreperus, loquaxve pica.

INSIGNIA POETARUM, OLORES.

E1_147 v.1 Praedatricem aquilam scuto, flavumve leonem
2 adpingant tumidi nobilitate sua ;
3 Ledaeos habeant cycnos, quicumque poetae
4 dulcia mellita carmina voce canunt.

DE ARARDO.

E1_148 v.1 Incubat argento, nummis impallet Arardus :
2 virtuti penes hunc quis queat esse locus ?

AD MAECENATEM.

E1_149 v.1 Exsuperat claram Lesbon Gergobia vino
2 et Cererem, quantum Trinacris ora, metit.
3 Omnigena est illi propria aut exotica merces,
4 doctrina excellit, religione micat.
5 Illis, Maecenas, felix, felicior autem,
6 praesule te tanto, creditur esse sibi.

AD LEUCOPHEATUM.

E1_150 v.1 Si cum nocte diem studeas conjungere, frustra est,
2 nam cum nocte dies dissidet ipse nimis.
3 Si mortem et vitam studeas conjungere, frustra est,
4 nam mors cum vita dissidet ipsa nimis.
5 Si mundus domino sibi te servire coegit,
6 servire et Christo, Leucopheate, nequis.

AD PHILOSOPHIAM, DE FRANCISCO RABELAESO.

E1_151 v.1 Plusquam Daedaleae tibi toto in corpore plumae
2 nec frustra dantur, nec ratione carent.
3 Illis aerium scandens sublimior orbem
4 sub pedibus nubes deseris humidulas,
5 donec eo ventum est, ubi caelum pingitur astris,
6 luce calet Phoebus, Cynthia nocte riget :
7 unde videt mare velivolum, terrasque jacentes,
8 et Stygios manes arbiter aethereus.
9 Nec satis est, illis te dotibus esse beatam :
10 evehis illo etiam, diva, rapisque tuos.
11 In primis sane Rabelaesum, principem eumdem
12 supremum in studiis diva tuis Sophia.

AD GELLIAM.

E1_152 v.1 Aurea cum violae pallenti lilia quondam
 2 invecto, Paphiae debita sarta Deae,
 3 vesano insiluit cor impete, Gellia, nostrum
 4 pellimus innocuae pacis amator Amor.
 5 Nec finemve modumve facit praecordia circum
 6 immiscendi ignes ignibus, ille procax :
 7 ut cineres tandem redigar consumptus in atros,
 8 flamma diu totus, sive favilla magis.

AD L. MEDARDUM.

E1_153 v.1 Quam tu rem pretio emeris decenti,
 2 vix caram tibi duxeris, Medarde.
 3 Si quemquam precibus tuis lacesces,
 4 ut quicquam accipias, emes profecto
 5 auro carius Indicisque gemmis.

AD R. D. CIAUDIUM PRATIANUM, MIMATENSEM ANTISTITEM.

E1_154 v.1 Divine Praesul, quo tua carmine
 2 mihi efferatur gloria ?
 3 Quidnam ipse possim rusticus et nimis
 4 verbis agrestibus madens ?
 5 Prae quam quod omnis qui studeat tuas
 6 laudes referre debite,
 7 metiri arenas et numero omnia
 8 inire curet sidera.
 9 Quantis abundant Gargara messibus,
 10 apibus Hymettus floreus,
 11 Methymna quantis maleolis rubet,
 12 dum certat uva purpurae,
 13 tantis abundas laudibus, optime
 14 antistes, etiam pluribus.

EJUSDEM VITA DEFUNCTI TUMULUS, AD LECTOREM.

E1_155 v.1 Angustum hoc dices, marmor spectando, sepulchrum,
 2 sed Mausolaeum, lector, id esse putes.
 3 Ille Mimatarum jacet hic praesulque decusque
 4 nec solus tanto Claudius in tumulo.
 5 Junguntur siquidem virtutes quattuor illi,
 6 tresque simul Charites, Pieridesque novem.

AD VERNEAM PICTORIS FILIAM.

E1_156 v.1 Vultum olim Veneris laudatus finxit Apelles,
 2 qui tamen humanis funderet ignem oculis.
 3 At tuus ille pater nos edocturus aperte,
 4 quam Venerem inscite finxerat ille suam,
 5 formam in te Veneris veneresque expressit amoenas,

6 adjungens illex corpus ad igniculos.
 7 Ille etenim toto est pictor clarissimus orbe,
 8 tu contra excellens, Vernea, patris opus.
 9 Et tamen hoc Venerem possis anteire, quod illa
 10 injectam flammam exstinguere non potuit.
 11 Si tuus o quemquam vultus forte usserit, illi
 12 dulce refrigerium corpore ferre potest

DE AMERSOLIO.

E1_157 v.1 Castora, Pollucem jurat, Phoebumque, Jovemque :
 2 rectius Hipponam juret Amersolius.

AD MAECENATEM.

E1_158 v.1 Si pede quid dextro Gergobia concipit, unum
 2 illud, Maecenas, concipit esse tua.
 3 Quam missi ut ne paeniteat, votique peracti,
 4 hanc habita semper, qua ratione potest

DE AMORE, E GRAECO MOSCHI.

E1_159 v.1 Induerat peram et soccos, abjecerat arcum,
 2 et stivam, posita lampada, sumpsit Amor,
 3 tardigradosque boves stimulo dum pungit acuto,
 4 et sua porcatae semina mandat humo.
 5 Rara nimis cernens : "Plura, inquit, Juppiter adde,
 6 aspera ni Europes bos juga ferre velis."

ALIUD, EX INCERTO AUCTORE.

E1_160 v.1 De Veneris puero Dictynna pudica Tonanti
 2 questa est, quod socios ureret igne deos.
 3 Juppiter accito in suprema Cupidine regna :
 4 "Hoc tua fracturum spicula fulmen", ait.
 5 Cui commotus Amor : "Quid, si mea semper habebo
 6 spicula ? Tu, posito fulmine, cycnus eris ?"

AD PHILIPPUM MELANCTHONEM.

E1_161 v.1 Solis ex scriptis auctores novimus illos
 2 qui laudem ac studium posteritatis habent.
 3 Sed cum de scriptis notos vehementer amamus,
 4 tum caelo multis laudibus asserimus.
 5 Longum interstitium haud annorum, at patriae, iniquum
 6 de facie ut norim te minus, efficiat.
 7 Scripta, quibus tua fama nitet, divine Melanchthon,
 8 efficiunt ut amem te et tibi honorem habeam.

F. SYLVII RHETORIS TUMULUS.

E1_162 v.1 Quod numquam potuit multorum exercitus olim,
 2 barbariem Francis finibus exigere,
 3 illud militibus tercentum Sylvius egit,
 4 quo duce habet regnum lingua Latina suum.
 5 Rem vero aggressus majorem, ut clarior esset
 6 Romani princeps Tullius eloquii.
 7 O mortem properam, Lachesisque brevissima pensa,
 8 re prope confecta, Sylvius oppetiit.

DE LYCORI, ET AEGONE JOCUS, EX RHYTHMO MEI MAROTI.

E1_163 v.1 Prima nocte suam Lycorin Aegon
 2 a formidine liberare primi
 3 congressus cupiens : "Tuo meum, inquit,
 4 indam ori digitum ; inditum ipsa morde,
 5 ullum si modo senties dolorem."
 6 Re demum bene, fortiterque gesta,
 7 sponsae sponsus : "Habes gravem hinc dolorem ? "
 8 Illa illi : "Digitum tuum memordi ?"

AD JACOBUM MINNUTUM, PRIMUM TOLOSANI SENATUS PRAESIDEM.

E1_164 v.1 Cum, Minnute, tibi multum respublica debet
 2 Gallica, consiliis saepe levata tuis,
 3 tum vero Aoniae debebunt omnia Musae,
 4 excultae tibi jam nobiliore modo.
 5 Debebit Virtus, scopus illa tibi omne per aevum,
 6 abjectis ultra Sauromatas vitiis.
 7 Ergo Tolosani caput atque corona senatus
 8 factus es, Astraetae laetitia haud minima.
 9 Ne latum a recto jus tramite deviet unguem,
 10 primumque cura fuit, primumque cura tibi est.
 11 O felicem illum, sed terque quaterque Senatum
 12 felicem, cui te contigit esse caput.

AD P. ANTONIUM GADANAEM TUSCUM.

E1_165 v.1 Inter multa quibus famae ipsi nostra sacramus
 2 nomina, in aeternos non peritura dies,
 3 illud praecipuum, Gadanaee, videtur, in omnes
 4 propenso doctos esse, bonosque animo.
 5 Quod tibi qui proprium ac genuinum, cumque negabit,
 6 Sanctem ut Pagninum juveris, aspiciat.
 7 Nam locuples inopem juvisti, promus in illum,
 8 numquam autem condus, si quibus usum habuit.
 9 Et summe doctum summe quoque doctus amasti :
 10 moribus ut mores convenit esse pares.

AD MAECENATEM.

E1_166 v.1 Quam tuus ille diu vixit pater optimus olim,
 2 et recta est ejus Francia consiliis,
 3 spes aberat prorsus nobis te certa videndi :
 4 haerebas lateri semper ubique patris.
 5 Sed jam fata illum merito dignantur Olympo,
 6 illi absolverunt pensa colosque suas.
 7 Ergo tuis absens, Maecenas, omnibus atra
 8 caligo ; praesens luxque nitorque tuis.
 9 Quando erit, obsecro, cum se Gergobia tandem
 10 dignatam aspectu sentiet esse tuo.

IN ROMAM,

OB C.GERALDUM, V.CORNUTUM, ET S.PICCOTUM, IBIDEM PESTILENTIA EXSTINCTOS.

E1_167 v.1 Roma vorax hominum, nullo satiata dolore,
 2 quem mihi non minimum saeviter atra moves !
 3 Quid tibi, quid cum illis, quos imo pectore junctos
 4 intimus ante mihi conciliarat amor ?
 5 Occubuit fato insignis Geraldus amaro,
 6 Venardi ut sileam tristia fata mei.
 7 Post mortem amborum lugendam fletibus atris,
 8 Cornutum exstinxit pestis acerba meum.
 9 Nec satis inde tibi factum est : tamquam ordine recto,
 10 Picoti lucem rumpis avara mei.
 11 Si tam docta rapis violento corpora telo,
 12 dii faciant ne te quisquam habitare velit.

AD CUPIDINEM.

E1_168 v.1 Si tibi grata domus celsis unt atria caeli,
 2 quare cor habitas, dive Cupido, meum ?
 3 Nectare et ambrosia si gaudes, unde cruorem
 4 hauris visceribus, saeve Cupido, meis ?
 5 Si tibi tela, faces, arcum mea Gellia fregit,
 6 quo me jam telo, nude Cupido, feris ?
 7 Vulneribus nimias tenvatum corpus, inane
 8 fiet et accipient ipsa sepulchra nihil.

AD D. JOANNEM STUARUM, ILLUSTRIS. ALBANIAE DUCEM.

E1_169 v.1 Belligeri fuerint Diomedes, Teucer, Achilles,
 2 quosque sibi celebres olim peperisse coronas,
 3 hostibus edomitis, prodit cariosa vetustas.
 4 Tu contra Martem, nedum illos, vincis, et unus
 5 pugnando Aeneae similis, stratagemate Ulyssi,
 6 obsidione urbes penetras, certamine castra.
 7 Si quando terram vexillis, navibus aequor
 8 innumeris calcas, testes sint mille triumpho,
 9 quos, duce te, pridem novit sibi Gallia partos.
 10 Plus tamen inde tibi se debere illa fatetur,
 11 quod pacem in nitidam bellum mutaveris atrum,

12 connubio neptis, qua non praestantior inter
 13 altera Nympharum numeros, cum regis alumno,
 14 quo duce, felicem se clara Aurellia sentit.
 15 Sit tua laus igitur bellum mutasse cruentum
 16 pace pia et tamquam Marti adjunxisse Minervam.

EJUSDEM VITA FUNCTI TUMULUS.

E1_170 v.1 Miraris vario pendentia marmora cippo ?
 2 Miraris docta picta sepulchra manu ?
 3 Quid vero, si animos, lector carissime, nesses,
 4 resque ejus gestas, quem brevis urna tegit ?
 5 Conditur hic Stuari corpus, "thumos Heptabooios"
 6 incolit Elysiae regna beata plagae,
 7 et proceres inter longe clarissimus omnes
 8 in bello meritae praemia laudis habet.

AD DOMINUM FRANCISCUM BOHERUM,
 CARNUTENSIS ECCLESIAE CANONICUM PRIMARIUM.

E1_171 v.1 Coepit ut in laudes animo se attollere magno,
 2 in laudes inquam, magne Bohere, tuas.
 3 Coepi tum audacem nimium nimiumque superbam
 4 talibus hortari : "Quid, cedo, Musa facis ?
 5 Innumerae numerum nequiquam imponis arenae,
 6 ejus dum laudes enumerare cupis.
 7 Ut numeres autem, numerabis carmine parvo ?
 8 Et satis ad tantas unum epigramma putes ?
 9 Iliade has potius, potiusve Aeneide dignas
 10 noveris aut si quod majus habetur opus."

AD CASSILIANUM.

E1_172 v.1 Quod cupis ad famam niveis conscendere bigis,
 2 quod caelo adscribi post tua fata cupis,
 3 illo, crede mihi, numquam sine pulvere tendas,
 4 quod dici vulgo, Cassiliane, solet.
 5 Tendas virtutum sudore ac rebus honestis :
 6 his fama, his paritur regia namque poli.
 7 Arduum opus certe est, se fama extendere ; caelum
 8 autem vim patitur, Christus ut ipse docet.

AD CHRYSANTILLAM.

E1_173 v.1 Aetherei sic te conservet rector Olympi
 2 et votis faveant astra secunda tuis :
 3 ne cedo, ne fuerit tibi, Chrysentilla, molestum,
 4 tormenti causam noscere velle mei,
 5 tormenti, quo nec squalentia Tartara majus
 6 ullum habeant, cujus sis mihi causa tamen.
 7 Ut vero auxilium, quae certe inflixerat ipsa,
 8 unica vulneribus Pelias hasta tulit.

9 Sic mihi tormento per te nato una levamen,
10 una refrigerium tradere mite potes.

IN SERGIUM.

E1_174 v.1 Praetulit Hesiodum divino Panis Homero,
2 rex ille quondam Chalcedis,
3 Phoebos Pana Midas, urbano inscitus agrestem,
4 vetustae ut historiae docent.
5 Me quibus ipse voles postponas, dummodo, Sergi,
6 sis Panis et Midas mihi.

DE CICERINO ET ALISCA JOCUS.

E1_175 v.1 Deformis fuco faciem sibi pingit Alisca,
2 id cupiens, omnes urere sola procos.
3 Hoc animadvertens Cicerinus, subdolos illi
4 fuco atramentum miscuit, et vitrium.
5 Illa ignara doli, consueto improvida more
6 se pingit, speculi haud usa ministerio.
7 Postera lux rediit. Multa nam talia nocte
8 sunt patrata, nigram vidit ut esse vafer,
9 ad sontem : "Ille procis locus est celeberrimus, inquit,
10 jamdiu, Alisca, tuus te manet Atterius."
11 Mirum quam illa libens illo contenderit omnes
12 tractura in risum. Traxit, et erubuit.

DE FELICE, 'mimêsis' MARTIALIS.

E1_176 v.1 Cenam forte mihi Felix condixerat olim,
2 pollicitus variis fercula structa modis.
3 Accessi. Video varias in lancibus herbas,
4 lactucas, betas, allia, porra, thymum.
5 Post tantas herbas, timui ad bellaria fenum,
6 neu me, sicut ovem, tunc habuisset equum.

AD PHILIPPUM LONGOVALLIUM,
DE COMPENDIO PHILOSOPHIAE CLAUDII PERRONNEI VIENNENSIS.

E1_177 v.1 Indiscreta prius certis elementa figuris
2 secrevit propria trinus, et unus ope.
3 Ignis suprema sedem sibi legit in arce,
4 proximus huic aer, prae levitate, fuit.
5 Densior exstiterat, depressa est terra, fuitque
6 illa fluentisono circumamicta mari.
7 At licet e siccis humentia, mollia duris
8 natura in certum dissecuisset opus.
9 Non tamen edocuit certis cognoscere signis
10 quo prosint, obsint haec elementa modo.
11 Quod nisi continuo doctus Perronneus usu
12 naturae implicitas explicuisset opes :
13 quam satius fuerat, nil nos habuisse, Philippe,

14 quam data sic nullis nota fuisse modis ?
 15 Ergo Naturae debent elementa, quod olim
 16 confusa in certis jusserit esse locis.
 17 Nos sibi devinctos reddit Perronneus, ut qui
 18 edocuit vera nos elementa via.

AD LIBELLUM SUUM DE BUATERIO CAMERARIO B. PAULI, APUD LUGDUNUM.

E1_178 v.1 Te per Castalios modo recessus,
 2 per Teumessia, per Sicana Tempe,
 3 te per Pallada nunc Apollinemque,
 4 suarumve sacram ducem sororum
 5 non orare velim : jubere malim,
 6 et pro jure quidem meo jubere,
 7 ne Buaterium meum, libelle,
 8 dimittas tacitum. Eruditione
 9 ac morum integritate, neminem illi
 10 aut paucos equidem esse comparandos
 11 vel per numina sacrosancta jurem.

IN QUEMDAM ALAZONEM.

E1_179 v.1 Ergo genus nullam tibi versus sancta negarunt
 2 numina, quae praesunt vatibus Aoniis ?
 3 Unde istud constet ? Nam quotquot scribis iambo,
 4 sunt sine lege : carent et capite et pedibus.
 5 Nil scribas, nam cum laudis quid scribis amore,
 6 perdis inane oleum, ludis inanem operam.

AMOR CONJUGALIS.

E1_180 v.1 Forte domi geminos Gracchus deprenderat angues
 2 cum femina, grandem marem.
 3 Mas uxori atram mortem, ipsi femina Graccho,
 4 ni destruantur, connotant.
 5 Haec ubi respondit subito consultus aruspex,
 6 aruspicum clarissimus :
 7 Gracchus, se extincto, ut carissima viveret uxor,
 8 exstinxit apprensum marem.

SIMONIS NERALDI DOMINICANI TUMULUS.

E1_181 v.1 Si Christum humanis infundere mentibus, illud
 2 caelesti gratum credimus esse patri,
 3 Neraldi caelum est, Christum qui voce fideli
 4 scilicet humanis mentibus inseruit.
 5 Norat enim Thomas quicquid conscripsit Aquinas,
 6 et quotquot similes illius ordo colit.

DE ATHORO.

E1_182 v.1 Dementire magis quia pergit Athorus in horas,
2 ut bibat helleborum, naviget Antyciras.

AD MATHAEUM LATIANUM.

E1_183 v.1 Mascula quos habuit Babylone Semiramis hortos,
2 summa poetarum versibus astra petant.
3 Hortos Hesperidum commendet prisca vetustas,
4 adservavit ubi ditia poma draco.
5 Necnon Alcinoi, Cyri vel Adonidis hortos
6 jactitet autumnno perpetuo celebres,
7 et quos praeterea senior Gargettius olim,
8 et quos Maecenas mollior ille habuit.
9 Hortus vero tuus, nec sum, Latiane, poeta :
10 antiquorum hortos anteit omne genus.

DE ACERONIO.

E1_184 v.1 Hoc astu ventrem sibi fecit sesquipedalem :
2 Attili vitam vixit Acerronius.

IN SAVORIANUM.

E1_185 v.1 Mentem polypi habes, Savoriane,
2 inconstans, varius, parumque fidus.
3 Imo et polypus es, Savoriane,
4 quo nil deterius creavit ipsa
5 natura, aut magis impium atque taetrum :
6 ita es praeditus unus inter omnes
7 labracum, aut mugilum voracitate,
8 dixissem melius rapacitate.

IN ACERRAM.

E1_186 v.1 Inter doctrina claros, Seriphia rana,
2 non audes mutus vel duo verba loqui.
3 Inter, Acerra, rudes et agrestes, compita circum
4 exsuperas ipsum Stentora voce tua.
5 Sed fucum ingeniis facias socordibus istum.
6 Sis plebi ; non es doctus, Acerra, mihi.

AD MAECENATEM.

E1_187 v.1 Quid te, Maecenas, acipensem carmine dico ;
2 perpaucorum hominum sic te hominem vocito.

DE ERYCE JOCUS.

E1_188 v.1 Inde profecto licet facile cognoscere quantum
 2 nonnunquam humanis prosit avaritia,
 3 care emptam ad quaestum annonam, ut vilescere demum,
 4 contra quam ratus est, sensit avarus Eryx,
 5 desperabundus, sibi quod sua lucra perirent,
 6 jacturae impatiens confugit ad laqueum.
 7 Restis emenda fuit nummis tribus ; illico avarus,
 8 parceret ut nummis, noluit ergo mori.

AD GELLIAM.

E1_189 v.1 Ut decor in violis roseus marcetque putetque,
 2 calvet ut amissis horrida silva comis.
 3 Sic nitor ille tuus flaccescet, Gellia, fluxum est,
 4 si non utaris, forma decora bonum.

AD D. ANNAM REGINUM.

E1_190 v.1 Si, Regine, mihi bonus instillabit Apollo
 2 carmina, quae possint posteritate frui,
 3 aeternum vives, hoc margine scriptus, et illo :
 4 te sine, scribetur pagina nulla mihi.
 5 Allato quondam Perseo quod Nonacris harpe
 6 contra saxificae virginis ora fuit,
 7 quodque duci Phrygio Stygis horrida regna petenti
 8 aureus in manes ramus ubique fuit,
 9 hoc semper vati est tua compertissima virtus,
 10 hoc studium, adversus pessima quaeque, tuo.
 11 Nec nostrae illud Pierides aliquando tacebunt,
 12 nec certe indictum nostra Minerva sinet.

IN CAELIUM.

E1_191 v.1 Hectori, ut historiae produnt, Telamonius Ajax
 2 gemmis decorum balteum
 3 tradidit, Hector ei Trojanus tradidit ensem,
 4 uterque donum bellicum.
 5 Ajacem ille ensis demum confecit, et Hector
 6 raptatus illo est balteo.
 7 Quod constans igitur tua, Caeli, dona recusem
 8 mirari, amabo, desine.
 9 Hostium enim, quamquam summe pretiosa, meorum
 10 "a dora dora" judico.

PARAENESIS AB OTIO AD LABOREM, AD ANTONIUM PERARDUM POETAM.

E1_192 v.1 Infelix lolium et sentes tribulosque rubosque
 2 procreat effuse desita terra coli.
 3 Quae si duro eadem versetur saepe ligone,
 4 laetis luxuriat frugibus, hisque bonis.

5 Quando supina etiam pervasit inertia mentem,
 6 tum vigor atque acies deficit ingenii.
 7 Si juvet assiduo sudare labore, bonarum
 8 omne genus rerum copia larga fluit.
 9 Nos, quibus a Superis vigor est mentisque animique
 10 insitus et fusum caelitus ingenium,
 11 degenerere, ac foedo miseri torpore sinemus
 12 corrumpi, aut etiam tam bona inulta premi ?
 13 Non ita. Tollamus potius quaecumque, Perarde,
 14 ingenii ac mentis viribus officiunt.

AD D. ANTONIUM AUGUSTUM.

E1_193 v.1 Hinc petis Italiam, spero, felicibus astris
 2 oscinibusque bonis ominibusque bonis.
 3 Insignem cernes regionem gentibus, atque
 4 urbibus atque etiam fructibus omne genus.
 5 Praeterea variis fecundam mercibus, imo
 6 doctrina toto principem in orbe sua.
 7 O te felicem ! Sed terque, Auguste, quaterque
 8 felicem, inspecta scilicet Italia.
 9 At postquam Oceano te Avernia nostra remenso
 10 viderit et salvum, viderit et reducem,
 11 attenda nobis demum aure bibentibus ultro
 12 narrando expones singula visa tibi.
 13 Sedulus interea plenis Belnense minister
 14 infundet cyathis, vel Genabense merum.
 15 Sic vero infundet ne oriantur jurgia Thracum :
 16 una quibus mentes praecipitare solent.

IN CORCORIANUM.

E1_194 v.1 Non te de lapide emptum, Corcoriane, vocavi,
 2 sed lapidem. Quid te, Corcoriane, lapit ?

AD MAECENATEM.

E1_195 v.1 Sit licet, o nostri Maecenas gloria saeculi,
 2 lux mihi natali laetior ista die,
 3 laetior ista, inquam, lux, quae te reddidit ipsum,
 4 quo cum triste nihil, quo sine dulce nihil.
 5 Non tamen idcirco Junoni caedimus agnam,
 6 Tarpeiove Jovi fronte nitente bovem.
 7 Tanta superstitio fidei contraria nostrae
 8 nec redolet Christum, nec redolere potest.
 9 Quattuor ut vincas sexcentis Nestoras annis,
 10 fundimus aeterno vota precesque Deo.

IN HALAM.

E1_196 v.1 Es Croesus. Sed quando opibus non uteris istis,
 2 esto tibi Croesus, Codrus es, Hala, mihi.

AD DAMPETRUM.

E1_197 v.1 Divine hendecasyllabon poeta,
 2 ut vatum decus, ut lyrae magister
 3 divinum hendecasyllabon poetam
 4 te unum Salmonius vocavit. Ergo
 5 divine hendecasyllabon poeta,
 6 regini imperio, mei, tuique,
 7 vel nostri potius, fui quidem ausus
 8 duris hisce apinis inassuetam
 9 Musis dicere nunc tuis salutem.
 10 In quo si tibi nonnihil videtur
 11 erroris scelerisque criminisve,
 12 ne virum tamen esse me arrogantem,
 13 superbumne putaris, istud ausum.
 14 Sciebam ingenium tuum, sciebam,
 15 mi Dampetre, tuam eruditionem.
 16 Sed, quod dicere debui, et volebam :
 17 pro suo in te animo bono atque magnos
 18 te non vult mihi praeter esse missum
 19 scriptis qualibus hisce qualibusque
 20 Reginus meus et tuus, nec illi
 21 mos non ille fuit quidem gerendus,
 22 cui nil debeo, nil volo negatum,
 23 ut de me merito viros supra omnes.

AD MAECENATEM.

E1_198 v.1 Si forte Oedipodem caligantemque Thyestem,
 2 Telegonasve modo, Lestrignonasve canam,
 3 vanus ero, tantumque loqui figmenta videbor :
 4 nulla inde obtinget gloria, nullus honos.
 5 Si te, Maecenas, rarissima gloria nostri
 6 saeculi honosque ingens, scripsero, justus ero.
 7 Es pius, atque pius inscribere laudibus astris
 8 justitiam esse, Hermes maximus ille docet.
 9 Si vero ad rectam exacte perpendar amussim,
 10 sint majora humeris pondera tanta meis.
 11 Imo tuas heroa manent modulamina laudes,
 12 ad quas, quaerendus major Apollo mihi est.
 13 Interea capient nostra haec epigrammata finem :
 14 majora exspectans et meliora, vale.

AD D. NICOLAUM ANGURIUM, JULIACENSEM COENOBIARCHAM.

E1_199 v.1 Felicem ingenio, felicem gloria, opum vi
 2 felicem Angurium Gnato vocabat iners.
 3 Gnatonum ille, magis sim felix, si modo possim
 4 utilis esse bonis omnibus, et cupiam.
 5 O vocem argento scribendam, vel magis auro,
 6 o vocem, qua vix sanctior ulla fuit.

AD HENRICUM LAUTRECUM, FUXAEUM, PRINCIPEM ILLUSTRIS.

E1_200 v.1 Quod, Lautrece, tuum sequeris conamine toto
 2 patrem, illum insignem militiae atque domi,
 3 atque studes totus, pro vestro in Galliam amore,
 4 strenuus et miles, consul et esse bonus.
 5 Id multi laudant permultum aetatula in ista,
 6 et stupidus qui non talia laudet erit.
 7 Verum florentes hac nostra aetate poetas
 8 impenso studio quod colis atque foves,
 9 Borbonium in primis, laudent ut talia digne,
 10 Pierides ipsa vix satis esse queant.

DE CLAUDIO GUIDONE LAVALLO, ET EJUS PRAECEPTORE GUL. LATERANO.

E1_201 v.1 Naturae neque non Fortunae (iudice Momo)
 2 non vile certamen fuit :
 3 utri Guido quidem deberet plura Lavallus,
 4 illustris et potens. Deas
 5 subsannans Momus, vobis quin debeat ille
 6 multum, negare sit nefas.
 7 Sed vanum ac fluxum est quodcumque dedistis, et ipsum
 8 id tempori ac fato subest.
 9 Perpetuum et proprium et laudis majoris habetur
 10 apud Deum : quod is puer
 11 praeceptorem alacri Lateranum ardore secutus,
 12 evasit in doctum ac bonum.

AD FRANCISCUM ET CAROLUM PUCRIOS A BENESTAEA, GERMANOS FRATRES.

E1_202 v.1 Nobilitas demum est longe verissima, toto
 2 adnisi et tota mente favere bonis,
 3 praecipue vero studiosis semper adesse
 4 verbo et re quantum tempus utrumque jubet.
 5 Qui negat hoc vobis genuinum, Pucrii, amorem
 6 vestrum ille in melicum Borbonium aspiciat,
 7 Borbonium, quem docti omnes mirantur amantque,
 8 tamquam mel, tamquam saccaron Aonidum.

AD MUSAS.

E1_203 v.1 Ite, o Castalides, alio quocumque vocabunt
 2 vos alii vates : hic mihi finis erit.
 3 Persolvi pensam, tandem est adjecta coronis,
 4 nil superest : jam vos, quo libet, ite alio.
 5 Cum me munificus majora poemata poscet
 6 Maecenas, studiis spes mihi sola meis :
 7 tum vos cum Phoebos, tum vos cum Pallade rursus
 8 ad numeros tota voce vocabo meos.

DE SEBASTIANO GRYPHIO, TYPOGRAPHO CELEBERRIMO.

E1_204 v.1 Huic finem impositum libro putabam,
 2 quinimmo colophone constituto,
 3 sacrum Pierias chorum sorores
 4 summo carmine jusseram valere :
 5 cum me Phoebus Apollo, cum Minerva
 6 ingratae immemorisque mentis ambo
 7 accusant, taceam quod inter omnes
 8 illum ac praeteream silentio alto,
 9 qui vitam aere suo elegantiore,
 10 aut certe magis eruditione
 11 scriptis hisce meis dedisset unus
 12 omnium : sine quo, situ interirent
 13 et blattis, tineisque traderentur
 14 erodenda voracibus, nisi, inquam,
 15 illis aere suo ac typis dedisset
 16 vitam Gryphius ille, quem vocamus,
 17 atque jure quidem bono vocamus,
 18 hujus temporis optimum Tryphonem.

II

GILBERTI DUCHERII VULTONIS AQUAPERSANI EPIGRAMMATON LIBER SECUNDUS.

(1881 vers)

AD DOMINUM ANTONIUM PRATIANUM,
NANTOLLETI TOPARCHUM, ET EQUESTRIS ORDINIS VIRUM.

E2_1 v.1 Si sacrata tuo sunt prima epigrammata fratri,
 2 Gergobiae nostrae Pontifici merito,
 3 nunc demum certe tibi jure secunda sacrantur,
 4 militiae Antoni gloria, splendor, honos.
 5 Omnia me vobis fateor debere duobus,
 6 atque impensa quidem singula, cuncta velim.
 7 Ambos praecipue scripto illustrare laborem,
 8 si quaedam scriptis lux queat esse meis.
 9 Prima bono jam animo suscepit carmina frater,
 10 si meliore potes, sume secunda tibi.

AD CHRISTIANISSIMUM FRANCORUM REGEM FRANCISCUM,
PRO COLLEGIO TRILINGUI LUTETIAE ERECTO.

E2_2 v.1 Marti hinc Jovique te libenter comparo,
2 quod bellicosa regium sceptrum manu,
3 Francisce Regum summe Francorum, geras.
4 Quod vero Musis expolitioribus
5 non dico navas totus operam strenuam
6 verum patronus, ductor et princeps item es :
7 Apollini te comparo libentius.
8 Quin sacra per te scripta splendori suo
9 sunt restituta, sed fidelius quidem
10 neque non profana, quamlibet latratibus
11 canes malignis luridi intercesserint :
12 debetur unde summa laus, summusque honos,
13 ne dicam aguntur gratiae summae tibi.
14 Et nunc apud Lutetiam cui non licet
15 Graecos, Latinos dudum et Hebraeos simul
16 haurire fontes ? Porro quisquis hauserit,
17 haustos ubi refundet hominum mentibus,
18 remotiorum a Gallia : cum laus tua
19 ibi et locorum surget in summum aethera,
20 tum auditor ipse, non Lutetiae quidem,
21 verum tibi uni gratias aget pius,
22 ipsam Lutetiam quod exornaveris,
23 Graecis et Latinis primus, Hebraeis item
24 doctoribus, cum impendio impensae haud levis.

AD RUBELLAM N. BORBONII VANDOPERANI POETAE AMICAM.

E2_3 v.1 Quod forma Nymphas excellis, pulchra Rubella,
2 Naturae idipsum munus est.
3 Quod lapido tantam spiras facundiam ab ore,
4 Charitibus acceptum id refer.
5 Quod vero passim toto cantaris in orbe,
6 plus Lesbia, plus Cynthia :
7 Borbonio id debes vincenti epigrammate scito
8 Catullum, elegis Propertium.

'eis Protagoran'.

E2_4 v.1 Tartara Protagoras, cum forte rediret Athenis,
2 nigra senex media fertur adisse via.
3 Salvus Cecropias ergo evitavit Athenas,
4 non evitavit Tartara, Pluto, tua.

IN NESTORIANUM.

E2_5 v.1 Quando orbosque senesque frequenti munere donas,
2 lautusque et liber, Nestoriane, tibi es.
3 Nil te sordidius, nil te servilius uno est,
4 verius insidias dona vocabo tua.

5 Donatos captant, pisces ut subdolus hamus,
6 donatos captant, captat ut esca feras.

DE ERROBIO.

E2_6 v.1 Dicitur Errobius promissis gemmeus esse.
2 Si factio possit saxeus esse, sat est.

AD ILLUSTRISSIMUM GILBERTUM BAYARDUM,
FONTIS SANCTI MAGERANDI TOPARCHUM.

E2_7 v.1 Cum Natura tibi formam, Bayarde, dedisset
2 et genus antiquis nobile imaginibus,
3 se rata contemptam, magno Fortuna dolore,
4 adjecit plenis divitias manibus.
5 Ergo duarum igitur faciebat causa dearum,
6 felix ut posses omnibus esse tuis.
7 Nobis iudicium est aliud : te sola beatum,
8 teque orbi virtus sola nitere facit.

MAGDALENAE ROBERTETAE MATRONAE ILLUSTRIS. TUMULUS.

E2_8 v.1 Magdalena obiit, sed Roberteta, dolore
2 magno virtutum nec Charitum minimo.
3 Defunctae ut summas dotes prudenter omittam,
4 ne tibi non faciam, lector amice, fidem.
5 Quam prudens fuerit, quam concors, quamque fidelis,
6 vel testis locuples ipse maritus erit.
7 Quantumvis sileam, passim illam fama loquetur,
8 quo noctem Titan, quo facit orbe diem.

IN CLAUDIUM MONDAURIUM MAXIMUM TUM BONORUM, TUM ERUDITORUM HOSTEM.

E2_9 v.1 Quamquam rem sane gentili agnomine magnam,
2 Mondauri, redoles, cetera parvus homo es.
3 Quid parvum dixi ? Dubitavi dicere pravum ?
4 Quo Natura nihil pejus habere potest.
5 Virtutem odisti, cane pejus et angue, nec hujus,
6 scrupive aut assis quanta sit illa putas.
7 Conspirans etiam in doctos, molimine toto,
8 in Phoebum, in Musas es Catilina merus.
9 Dii tibi, pro meritis ea iusti praemia reddant,
10 ut longum Furiis exagitare malis.

IN EUMDEM.

E2_10 v.1 Cur, cedo, monstru hominis, cur te confundis, inepte,
2 doctos atque probos dum maculare cupis ?
3 Gemmea fama illis certe est, nec inurere stigma
4 possis : invidiae nulla venena timent.
5 Florebunt, nec eos longum consumet in aevum

6 tempus edax, in quos saecula nulla valent.

AD D. JOANNEM PINUM, EX SENATORE THOLOSANO, RIVENSEM EPISCOPUM.

E2_11 v.1 Adria te Franci tractare negotia regni
 2 saepe olim vidit, vidit et Insubria.
 3 Post exantlatos nullo non orbe labores
 4 ut res obtigerat maxima quaeque tibi :
 5 ordo senatorum, centumque viralis honestas
 6 albo te inscripsit, Pine diserte, suo.
 7 Inde tuae demum ut virtuti accessio major
 8 fiat, Rivensi praesul in urbe sedes.
 9 Si quicquam superest quo possis altius ire
 10 virtuti haud deerunt numina sancta tuae.

AD AURIUM.

E2_12 v.1 Quem ducit Virtus, ille omnia possidet, Auri.
 2 Quem Vitium ducit, ne suus ille quidem est

AD GUIDONEM STRUMAM.

E2_13 v.1 Nae tuos versus lego perlibenter,
 2 quodque sint docti, quod et elegantes.
 3 Verum ita obscuri, ut numeros Platonis
 4 dicere possis.
 5 Nos parum culti et minime diserti
 6 ingeni, plane facilem poesim
 7 scribimus, tam et perspicui nitoris,
 8 cum vitro et undae est.
 9 Malo lectorem facili Camena
 10 usque mulceri atque rapi volentem,
 11 nauseans quam si mea scripta saevis
 12 ignibus urat.
 13 Si voles passim tenebrosus esse,
 14 id quidem per me tibi tam licebit,
 15 quam solet passim via consularis,
 16 Struma, patere.

DE ALLITIO.

E2_14 v.1 Secure impunis multos peccaverat annos
 2 Allitius, cumulans crimina criminibus.
 3 Ergo arridebat sibi pessimus ; imo putabat
 4 turpia caelestes furta probare Deos.
 5 Horrendis donec poenas luit ignibus atque
 6 tandem aliquando ipsi diphthera lecta Jovi est.

EREMBONII AD NEPTUNUM 'aphidrômata'.

E2_15 v.1 Ecce tibi putrem in sicco, Neptune, carinam,

2 retia rara etiam, ponit Eremonius.
 3 Ecce tibi cistasque leves hamosque recurvos
 4 setasque et calamos ponit Eremonius.
 5 Ecce tibi nassas et vimineos labyrinthos,
 6 confectus senio ponit Eremonius.
 7 Tuta quidem fuerint nunc piscibus otia : quovis
 8 ut certe fluitent, absque timore, vagi.

IN CINNAM.

E2_16 v.1 Cum te, Cinna, virum dicit doctumque bonumque,
 2 hyperbolum Phylax agit.

CUPIDITAS MODERANDA.

E2_17 v.1 Elige quod justum est nimiaque cupidine frangi
 2 effuge : inexpleto deterius nihil est.
 3 Hermon nam exhausto, festinat avarus Hidasphem
 4 haurire, ignorans, cum ratione, modum.
 5 Ille quidem similis, demersae spongiae in amnem,
 6 quae numquam inde, nisi plena, redire potest.

IN EUCNUM.

E2_18 v.1 Laudum et nominis impudens sititor
 2 psaphon, dum studet invenire laudem,
 3 commento utitur, Eucne, perspicaci.
 4 Vocales volucres domi educatas
 5 id proferre, "psaphon theos megiste"
 6 docet sedulitate diligenti.
 7 Emissae volucres id eloquuntur,
 8 olim quod fuerant domi eruditae.
 9 Persuasus populus rudis Psaphoni
 10 cultus instituit sacros Deorum.
 11 Tu multos alis haud levi moneta,
 12 qui stulto populo, idque compitatim,
 13 supra Vergilium esse te poetam
 14 adfirment, misero ore et impudenti.
 15 Quid credat populus, nihil laboro :
 16 Eucnum te scio, non scio poetam.

AVARITIAE DESCRIPTIO.

E2_19 v.1 Si modo Avaritiae naturam pessimae iniquam
 2 complecti paucis carminibus liceat,
 3 expassis manibus terrarum amplectitur orbem,
 4 sidera contingit vertice celsa suo.
 5 Tartareae noctis spurcissima filia nauci
 6 fas habet, abrumpit foedera, pacta movet.
 7 Tesseram amicitiae frangit, divellit amorem,
 8 promissam raro liberat una fidem.
 9 Figit divinas leges nummo atque refigit,

10 conculcat pedibus juraque fasque suis.
 11 Omnibus Hesperiae quando de fluctibus aurum,
 12 inclusae aut Danaes ebibit impluvium,
 13 inter opes mendica tum opum, ferventius ardet,
 14 vasta ut inexstinctis ignibus Aetna solet.
 15 Insatiabilis est, vorat omnia ventre capaci,
 16 et cum absorbuerit plurima, plura cupit.
 17 Mors tantorum illi finem facit una laborum,
 18 si certe finem monstrum id habere potest

AD ANTONIUM AUGUSTUM.

E2_20 v.1 Cum laudes, Auguste, quidem mihi congeris istas,
 2 antiquis ut me vatibus ante loces,
 3 haud vulgarem in me spirare videris amorem
 4 nec verbis fucum suspicor esse tuis.
 5 Te tamen idcirco nolim refricare fricantem,
 6 frustra exspectaris pensa tibi paria.
 7 Non ingratus in hoc videar, vel numina juro
 8 sancta poetarum, qualiacumque colo.
 9 Sed nostrum ingenium excedis, sunt denique nostra
 10 inferiora tuis carmina carminibus.

DE GNATONE.

E2_21 v.1 O maria, o caelum, o aer, o denique tellus,
 2 haec Juppiter summus videt ?
 3 Virtuti extremum, virtutem si quid amavit,
 4 jam Gnato misit nuntium.
 5 Nunc assentari, nunc palpum obtrudere doctus,
 6 sectatur Augustum meum,
 7 non sane ut melior possit vel doctior esse :
 8 illum culinae odor trahit.
 9 Diogenes, mensis haerendo, ut gestit haberi,
 10 frugalem Aristippum oderit.

AD P. MARIUM.

E2_22 v.1 Auctor praepetibus mihi non est Daedalus alis.
 2 Nam pennas homini fingere ridiculum est.
 3 Navigii potius rationem invenit et artem,
 4 quo labyrinthis fugerit e sinibus.
 5 Hoc ita Vergilius, "gelidas enavit ad Arctos",
 6 ingenii mira dexteritate docet.
 7 Grande, Mari, inventum, nisi patre audacior ipse
 8 filius Icariis obrutus esset aquis.

AD GEORGIUM LARINUM.

E2_23 v.1 Constantissima fama venit istinc,
 2 te vix sex trieteridas agentem,
 3 navandum studiis laborem honestis

4 scorto impendere turpi et impudico,
 5 foedisque ante diem ignibus peruri ;
 6 quod audivi animo molestiore,
 7 parvo quam licet explicare versu.
 8 Et ni vela retro, Larine, flectis,
 9 et cursus revocas inauspicatos.
 10 Infelix puer, ilicet, peristi.
 11 Nam, praeter maculas tibi jam inustas,
 12 quas nullus Tanais lavet, periculo
 13 includere gravi, et tuam triremem
 14 saevis fluctibus obrutam videbis.

AD D. ANTONIUM PRATIANUM,
 EQUESTRIS ORDINIS VIRUM, ET NANTOLLETI TOPARCHUM.

E2_24 v.1 Ipsi Vergilio Aeneas, Messala Tibullo,
 2 Flacco Maecenas sanguine Tuscus eques,
 3 Lesbia facundo late celebrata Catullo,
 4 Lucano insignes hinc socer, inde gener,
 5 tu vero, Antoni, cum te mea carmina dicent,
 6 causa mihi verae maxima laudis eris.
 7 Tantum illud vereor, tantum hoc formido : minora
 8 laudibus ut ne sint carmina nostra tuis.
 9 Sic caelum immensam Pygmaeus ferre videbor,
 10 Atlas cui magnus non satis esse queat.

DE VENERE ET MUSIS, EX GRAECO 'Mousikiou'.

E2_25 v.1 Spurca Venus Musis : "Venerem exhorrescite, Musae,
 2 aut meus in miseris saviat, inquit, Amor."
 3 At Veneri Musa : "Vanum est quodcumque minaris,
 4 in castarum animos non valet ille puer."

IN NICORIANAM.

E2_26 v.1 Cur Thaim et Laim meretrices carmina dicant,
 2 non video. Si te, Nicoriana, sciant
 3 nam Thaim et Laim parasangis haud ita paucis,
 4 necnon et Phrynen sola praeire potes.
 5 Olim sad Danae passim vocitabere : quando
 6 aurea uti, Danae, vinceris a pluvia.

DE ALORSO.

E2_27 v.1 Quod quasvis artes cuivis adscribit Alorsus,
 2 hoc ligno ex omni est Mercurium facere.

JOANNIS RHODANI PHYSICI TUMULUM.

E2_28 v.1 Cum telo in Rhodanum mors ipsa instaret aperto,
 2 ut summum immerito clauderet atra diem,

3 instanti aegrotus : "Nihil id genus horreo telum.
 4 Quando homini mors est, vivere : vita, mori.
 5 Quam multos prope jam cineri tumuloque dicatos
 6 reddiderim vitae, fama loquetur anus
 7 humanis factum satis est, dissolvito corpus,
 8 in regionem animam quod vetat ire suam.

IN STATUAM EQUI EXCUSSUM DOMINUM CONCULCANTIS IN INGRATOS.

E2_29 v.1 Et jure et merito, cui nam des, esse videndum,
 2 et bene cui facias, dogmata sacra docent.
 3 Ingratis etenim dextra donare benigna
 4 semen arenae ipsi est fundere, verba Notis.
 5 Hunc herus acer equum studio curaverat omni,
 6 ut bene curato vinceret ipse alios.
 7 Dorso ingratus herum simulatque accepit, eundem
 8 excussum ingratis calcibus ecce terit.

AD IDEM.

E2_30 v.1 Ut Clytaemnestram matrem occisurus Orestes
 2 strinxerat ensem, illi talia mater ait :
 3 "In ventremne meum ferrum, impie, dirigis istud,
 4 qui te concepit, qui te etiam peperit ?
 5 In mammasne meas ferrum, impie, dirigis istud,
 6 quae mihi te natum lacte aluere suo ?"

DE CASIO.

E2_31 v.1 Ad Venerem Casius partim sua carbasa fregit,
 2 absumit venter cetera : pauper erit.

IN DELINUM.

E2_32 v.1 Formosa Actaeon flagravat amore Dianae,
 2 summum cui studium retia, cervus, aper.
 3 Id quod ut insanus certum cognovit, amicae
 4 magno emptos studuit mittere saepe canes,
 5 donec eum miserum paupertas reddidit alta ;
 6 unde canum cervus praeda suorum obiit.
 7 Tu spurce flagras turpi meretricis amore,
 8 non eris hinc cervus, Deline, porcus eris.

IN HELIODORUM.

E2_33 v.1 Plane insanus homo est, strychnum bibit Heliodorus ;
 2 sanus erit contra, si bibet helleborum.

AD GERMANUM BRIXIUM, DE PETRI ROSSETI MORTE IMMATURA.

E2_34 v.1 Brixi, cujus opes Parnassi a vertice magnae,
 2 cui toto Smyntheus Phocidis amne pluit,
 3 tandem ergo noster nostro est ereptus ab orbe
 4 Rossetus vatum non mediocre decus.
 5 Nec prius hunc Parcae tamen eripuerunt, fuisset
 6 maxima quam tanto gloria parta viro.
 7 Ob "Pratum", ob "Paulum", duo digna poemata Musis,
 8 vincet Cumaeae vatis olympiadas.
 9 Quod si incepta suum colophonem Christis haberet,
 10 prae tanto insuavis carmine Phoebus erat.

EJUSDEM P. ROSSETI TUMULUS.

E2_35 v.1 Et "Prato", et "Paulo" emissis, sed carmine quantum
 2 nec cum Vergilio fingere Naso queat,
 3 res Christi gestas numero graviore parabat
 4 Rossetus denis forte voluminibus.
 5 Tertio erat finis, quarto incumbibat et illi
 6 vix etiam primos addiderat numeros.
 7 Omnibus ut saeculis, quocumque exacta fuere,
 8 majus opus nasci tristis Apollo videt
 9 "Vicerit ante meos Prato, Pauloque poetas,
 10 in coepta haudquaquam Christide vincar", ait.
 11 Ergo in Rossetum plecta morte, cruentus
 12 progressu in medio nobile sistit opus.

AD GULIELMUM SCAEVAM.

E2_36 v.1 Quam multis anteit parasangis Stella Catullum,
 2 nec scit posteritas, nec monumenta docent.
 3 Illum Bilbilibicus vates, ex omnibus unus
 4 Aoniis olim vatibus inseruit.
 5 Bilbilibicum vatem, nedum ipsum vero Catullum,
 6 anteis ingenio, Scaeva diserte, tuo,
 7 ut testudineos incessus Pegasus atque
 8 Bucephalus, domini clarus amore sui.

AD ROBERTUM BULIODUM SACRISTAM D. PAULI APUD LUGDUNUM.

E2_37 v.1 Te "bôlês odôn" idque voce Graeca
 2 appellat Canaperius poeta,
 3 idem et Paeoniae magister artis.
 4 Si te consilii viam Latinis
 5 verbis dixero, dixero illud unum,
 6 quod cognomine reque te esse constat.
 7 Nam quid sit melius, salubriusque
 8 tuis consiliis, Papinianum
 9 quibus tam superas, et Africanum
 10 quam Pygmaeum etiam ardui Gigantes,
 11 aut Bruti puerum colossi, ut inde
 12 agnomen videaris assecutus.

13 Ergo adstringere dictionem in unam
 14 "Kai bollon Kai podon" solent poetae,
 15 et te Buliodum simul vocare.

IN QUEMDAM ERASMOMASTIGEM.

E2_38 v.1 Proclive ac promptum est in Erasmus scribere, cuivis
 2 perfrictae frontis vel nebuloni homini.
 3 Cordatus numquam Camarinam moverit illam,
 4 sacra nec attigerit talia : religio est.
 5 Quid vis ergo tibi tandem ? Quid, Erostrate, quaeris ?
 6 Isto non paritur gemmea fama modo.
 7 Quinimmo prudens egit prudenter Erasmus,
 8 qui dedignatus te vel epistolio est.

AD JOANNEM PERICARDUM.

E2_39 v.1 Tantalus infelix sitiatur molli additus undae,
 2 et fameat spectans proxima poma sibi.
 3 Sisyphus immenso frustra sudore laboret,
 4 dum celsum in montem grande volutat onus.
 5 Ixion rigidis religatus membra catenis
 6 volvatur rapidae concitus orbe rotae.
 7 Angantur miserae refluenti Belides unda,
 8 pertuso hausturae flumina vasta cado.
 9 Aegiden segnem infelicius otia vexent,
 10 quam nullus premeret sedula membra labor,
 11 necnon et Tityon, septem per jugera fusus,
 12 atram inconsumpto pascat avem jecore.
 13 Si tamen extremo, Pericarde, uraris amore,
 14 hac nihil aerumna durius esse potest.

AD GILBERTUM MARRELLATUM.

E2_40 v.1 Ne vivam felix, ne vivam denique salvus,
 2 ne dem audituro tura precesque Deo,
 3 ni cupiam, ut possum, ni, Marrellate, laborem,
 4 Pontificum cenis praeposuisse tuam,
 5 non epulas propter, quantumvis adjiciales ;
 6 non etiam propter vina, Falerna licet :
 7 illis sed quod erat condita refertaque verbis,
 8 ipsa quibus laudem mensa Platonis habet.
 9 Tempestivam igitur cenam illam jure vocarim,
 10 si tempestivam jure vocare licet.

DE GNATONE.

E2_41 v.1 Tam jejuna fames, mensa tam magna cupido
 2 Gnatoni interdum dicitur esse meo,
 3 ut ferat ad mensas Augusti, quod nec ineptus
 4 Sarmentus, sed nec Galba tulisset iners.

AD SOMNUM.

E2_42 v.1 Maxime discussor graviorum, Somne, laborum,
 2 quem pede non tacito blanda quies sequitur.
 3 Quando, reus voti, voti damnabor, amicam
 4 quod nostro in somnis sic revoces animo ?
 5 Sint tormenta diu mihi, quotquot prisca fuere :
 6 illa mihi noctu, te duce, cuncta cadunt,
 7 praecipue nostris cum illabatur artubus illa,
 8 quae paene extinctum cor fovet una meum.

AD AMOREM.

E2_43 v.1 Te gelidam ad flumen statuunt, ignite Cupido,
 2 frigida ut ardores mitiget unda tuos.

AD TRIBUNOS DROENSES, 'parainesis'.

E2_44 v.1 Vestro in gymnasio scortabitur alter ? Et alter
 2 nesciet Aonidum limina prima satis ?
 3 Bisdenos scortum jam putre Laborius annos,
 4 coram etiam pueris, pascit habetque domi.
 5 Asserit, "Ante sacro templo", Terranchus amusus,
 6 "Ante sacrum templum", congrua verba negat.
 7 Ergo juventutem natam infelicibus astris
 8 atque avibus diris ominibusque malis,
 9 quae pejor labes quam praeceptoribus uti,
 10 quos juvet immundo spurca cum Amore Venus ?
 11 Quae gravior clades quam praeceptoribus uti,
 12 qui nec grammatices prima elementa sciant ?
 13 Ergo Droenses hic aures adhibete Tribuni,
 14 dum vos, pauca licet, sancta monebo tamen.
 15 Vestrorum si vos natorum cura remordet,
 16 illos si doctos vultis et esse probos,
 17 longe a gymnasio quivis indoctus abesto,
 18 longe a gymnasio Sardanapalus eat.
 19 In lapicidinas sciolorum mittite pestes,
 20 projicite ad corvos putida scorta procul.

AD D. JOANNEM BERTHRANDUM, SENATUS THOLOSANI PRAESIDEM PRIMUM.

E2_45 v.1 Ex tribus, unum hominem miro factura labore
 2 natura, ut solers, ingeniosa quoque est.
 3 Jure te Aristidem fecit, pietate Metellum,
 4 verum sincera religione Numam.
 5 Naturae adjutrix Fortuna futura, sereno
 6 Francorum regi te, bene cauta, dedit,
 7 scilicet ut fieres illo sublimis honore,
 8 jamdudum virtus quem tua summa meret.
 9 Jam rex principium fecit, te praeside facto
 10 si, Berthrande, aliud restat, id esse potest
 11 nullus finis erit, celsa te in sude locandi,

12 donec eo venias quo tua fata jubent.

CRANTORIS TUMULUS, EX GRAECO THEAETETI.

E2_46 v.1 Ample gratus erat mortalibus, amplius autem
 2 Pierio gratus Crantor ubique choro.
 3 Exanimum, pia Terra, viri nunc excipe corpus :
 4 vivat ut aeternas spiritus inter opes.

AD ABELLUM.

E2_47 v.1 Dum nimis incautus versuram solvis, Abelle,
 2 et tibi mutatur creditor Aulus, Etho,
 3 longe Heraclito usuras velocius ire,
 4 Pegaseos etiam noris habere pedes.
 5 Sic tua paulatim substantia defluit ; imo
 6 jam debes animam, nec tuus ipse quidem es.

DE PRIAPO HORTORUM DEO, 'mimêsis' ARCHIPOETAE GALLI.

E2_48 v.1 Si deus ille puer moreretur forte Cupido,
 2 quisnam ejus gereret regna, vel imperium ?
 3 An Mars, bellorum praeses ? Vel Juppiter ipse,
 4 qui quatit horrenda fulmina dira manu ?
 5 An divum interpres, Maiaie pulcherrima proles ?
 6 Vel qui taetra niger Tartara Pluto regit ?
 7 An florum varie pictorum infusor Apollo ?
 8 Vel Bacchus madido blaesulus ore deus ?
 9 An vero altarum stator Neptunus aquarum ?
 10 Tranquillumve ciens Aeolus Oceanum ?
 11 Vis tibi dicam ? Haeres defuncti verus Amoris
 12 hortorum custos ipse Priapus erit.
 13 Ille unus siquidem, reliquis acceptior, omnes
 14 feminea in partes corda volare facit.

EPICARMI PHILOSOPHI TUMULUS, EX GRAECO.

E2_49 v.1 Splendore ut Titan plane omnia sidera vincit,
 2 omnigenos fluvios ut mare vincit aquis,
 3 sic sophia ipse sophos Epicharmus praeterit omnes,
 4 unde Syracosio parta corona sibi est.

AD MAURICIUM SCAEVAM, 'mimêsis' POLITIANI.

E2_50 v.1 Instillavit apis puero sua mella Platoni :
 2 hinc omnes Graio vicit in eloquio.
 3 Stesichoro puero cecinit Pandione nata :
 4 hinc dicendo illi gratia multa fuit.
 5 Nulla apis infudisse tibi sua mella putetur,
 6 concinuisse tibi nulla putetur avis.
 7 Tam suave eloquium Pitho tibi, Scaeva, ministrat,

8 quod numeris nectit dexter Apollo tuis.

IN SOCILINAM.

E2_51 v.1 Numquam a te quisquam est passus, Socilina, repulsam
 2 latae aut angustae condicionis homo.
 3 Namque omnes primae fortunae opibusque beatos
 4 olim admisisti, dum tibi forma fuit.
 5 Deformis pinguesque coquos vilesque subulcos
 6 admittis, neque non gratus agaso tibi est.
 7 Vis tamen interea matrona pudica videri.
 8 Fucum aliis facias, nam mihi nota probe es.

DE SCORONTIANO.

E2_52 v.1 Sinceritate pectoris
 2 quem credidi fore aurea,
 3 necnon Orestem aut Laelium
 4 meis quibusvis casibus,
 5 molitus in me pessima est :
 6 ut ille multo est omnium,
 7 quos alma tellus sustinet,
 8 Scorontianus pessimus.
 9 Nullum tamen finem dedit
 10 molitionibus viri
 11 Fortuna, amica in hoc mihi.
 12 Scorontianum ergo male
 13 mulctavit, imo perdidit.

TUTA MEDIOCRITAS,

AD ANTONIUM ROSSELIONEM BELLICIANUM JURIS UTRIVSQUE DOCTOREM.

E2_53 v.1 Cui curae est, tute sedem retinere perennem,
 2 fortuna quavis matre, noverca etiam,
 3 vitet, Rosselio, montis sublime cacumen,
 4 vitet arenosis aedificare locis.
 5 Illud enim magno vehemens quatit impete ventus,
 6 illas instabiles grande resolvit onus.
 7 Aeternum stabit, nulla formidine, saxo
 8 innixa exiguo non nimis alta domus.

MIMI PUBLIANI 'mimêsis'.

E2_54 v.1 Quantumvis bene quid facias, peccare videris :
 2 cum nocet, esse bonis, expedit, esse malis.

IN SYMPHORIOSUM.

E2_55 v.1 Diogenis quod grammaticum te dixero, totus
 2 ringeris ; at frustra ringere : vera loquor.
 3 Nam cum sollicitus casus exquiris Ulyssis,

4 ignoras casus, Symphoriose, tuos.
 5 Uxor moecha tibi est, quae cum tua singula solis
 6 moechis perfundat : nescius ista, cadis.

AD FESTULUM.

E2_56 v.1 Nunc tibi pectuntur diffusa in fronte capilli,
 2 nunc in confusa fronte subhirta coma est.
 3 Exili teneras imitatus voce puellas,
 4 stentorea demum fulmina voce tonas.
 5 Nunc molli tegeris, tamquam lascivus, abolla ;
 6 paulo mox tegeris sordidiore sago
 7 cum sis tam multus, tam, Festule, nullus : Orontis
 8 Artaxerxei calculus esse potest

AD BENEDICTUM THEOCRENUM.

E2_57 v.1 In scriptis, Theocrene, tuis ea gratia lucet,
 2 ut merus exsistant, cum gravitate, lepos.
 3 Ad se lectorem rapiunt dulcedine mira
 4 et ferrum magnes ut trahit, illa trahunt.
 5 Pascunt, nec satiant ; etiam si lecta relegit,
 6 lecturiet lector saepius haec eadem.
 7 Quid mirum, si te, expresso cognomine Graeco,
 8 divinum fontem lingua Latina vocat ?

IN QUEMDAM IAMBOGRAPHUM.

E2_58 v.1 Exleges nimium feris Iambos,
 2 scabra incude nimis, nimis licenter.
 3 Si quid nominis inde, si quid inde
 4 speras gloriae, itemque laudis, erras :
 5 tantum exlex vocitaberis poeta.
 6 Quin illud caveas (periculosum
 7 est enim) tua vita ne sit exlex.

AD SALIDIUM.

E2_59 v.1 Invitas crebro, Salidi, me regiam in aulam,
 2 inde mihi taxos vaticinatus opum.
 3 Verum Lemniaca constringi nolo catena
 4 nec cupide nodos ex adamante fero.
 5 Et cui libertas gemmis non major habetur,
 6 regina in luxum quas Berenice habuit ?

LABOREM FREQUENTER IRRITUM FIERI.

E2_60 v.1 Humanum quoties Fortuna maligna laborem
 2 impedit, optata nec sinit ire via.
 3 Nitimur incasum, vanus labor effluit omnis,
 4 atque oleum plane perdimus atque operam.

5 Quamlibet alati quaerant sublimia, nescit
6 umquam pennatus scandere celsa labor.

DE FRANC. CAMBONE BESSANO.

E2_61 v.1 Si quem nobilitas venustioris,
2 si quem dexteritas amoenioris
3 non parva ingenii beare possit.
4 Divos experiar minus faventes,
5 divos non habeam satis secundos,
6 si non ille sit, unus inter omnes,
7 Cambo, Pierii decus theatri
8 virtutumque sequax. Mage hinc beatum
9 quam si possideat, pecuniae vir
10 aut Crassi, aut Cinyrae, aut Midae talenta :
11 Croesus non equidem ille, sed nec Irus.

SEDATIO AMORIS.

E2_62 v.1 Obdurata fames innatum sedat Amorem.
2 Si minus haec, tempus, si minime hoc, laqueus.

IN FASCILIANUM, MUSICUM.

E2_63 v.1 Quando mihi exprobras civilia jura scienti
2 et citharam laudas, Fasciliane, tuam,
3 vel summas urbes civilia jura gubernant,
4 non regitur cithara, quamlibet arta, domus.

AD MAURITIUM SCAEVAM.

E2_64 v.1 Saepius in justos tentavi effundere versus
2 Vauselianorum stemma, decusque trium.
3 Conatum ecce meum, sed non sine scommate, risit
4 ipsa sui princeps Calliopea chori.
5 Scilicet hic certe dea, rerum praescia, vidit
6 esse meis impar viribus illud onus.
7 Illorum siquidem tentans comprehendere laudes,
8 et numeris omnes enumerare suis,
9 littoris Aegaei metiri tentet arenas,
10 aut noctu in caelo sidera quanta micent.
11 At ne, Scaeva, tamen nihil illis esse tributum,
12 arguat in nostro carmine posteritas :
13 Matthaevi certe regitur respublica ductu,
14 curat Joannes sacra, vir ille sacer,
15 Christi vero fidem ferro, atque Georgius armis
16 defendit, Rhodiae nobilitatis eques.
17 Acceditque trium fratrum concordia, quantam,
18 ut longa, ut lata est, Gallia nullam habeat.

AD QUINTIANUM LEBRIUM.

E2_65 v.1 Totus, Lebri, ardes, vehementi incensus amore,
 2 ardorique tuo poscis anhelus aquam.
 3 Hoc certe est votis fluctus placare marinos,
 4 hoc est praepetibus fundere verba Notis.
 5 Surda est, et somnum tibi dormit amica profundum,
 6 qualem expers senii Lathmius Endymion.
 7 Tentasti precibus, tentasti denique donis.
 8 Illa tamen flocci dona, precesque facit.
 9 Si sapias, ut te redimas ardoribus istis,
 10 excidet ex animo Lucia tota tuo.
 11 Surdus consilio es, laqueo irretitus Amoris,
 12 quem non dissolvat Perseus ense suo.

ACTEON MARMOREUS : EST AUTEM 'mimêsis' SANNAZARII. (voir en fin de
 texte)

E2_66 v.1 Cum Phrygio Paridi pascenti in vallibus Idae
 2 nudae occurrerunt Juno, Minerva, Venus :
 3 Junoni aurifluae, sapienti vero Minervae,
 4 corruptricem hominum praeposuit Venerem.
 5 At si Gargaphiis, ut ego, vidisset in undis
 6 Dianam, odisset, quam coluit, Venerem.

IN COTTALUM.

E2_67 v.1 Et nauci fies, et fies, Cottale, flocci,
 2 quantumvis Arabum totus odore fluas.

DE STRATOPHONTE, EX LUCILIO.

E2_68 v.1 Dum quarto in patriam lustrò rediisset Ulysses,
 2 hunc canis in cunctis novit odorisequus.
 3 Pugnando Stratophon justas vix quattuor horas
 4 ignotus canibus factus, item et populo est.
 5 Consulto speculo, postquam sua vulnera cernit,
 6 illico juratus se Stratophonta negat.

AD D. JOANNEM BAYARDUM, COENOBII ARCHAM ISSIODORENSEM.

E2_69 v.1 Si dare divitias Croesis insania magna est,
 2 cur ego nunc vati carmina mitto tibi ?
 3 Divitiae ut ditent, ditari non potes ullis,
 4 quovis aut Crasso ditior, aut Licino.
 5 Carmina sunt aliud : cui carmina dantur, eundem
 6 laudant, te ut laudem carmina mitto tibi.
 7 Quamquam ingens, Bayarde, tuis es laudibus, auget
 8 exiguus magnum rivulus Oceanum.

AD GULIELMUM DUMANIUM.

E2_70 v.1 Commissurus agro sua semina rusticus, illum
 2 ante suis stato tempore bobus arat :
 3 sedulus avellit spinas, radicitus aufert
 4 innatos vepres, luxuriante fimo,
 5 agrum cura vigil purgat. Quam rectius autem
 6 mentibus humanis istud idem faciant ?
 7 Nam quid, Dumani, Phoebusque Minervaque prosint,
 8 doctum si videas moribus este malis ?
 9 Ergo prius filicem exuri vult Musa Maronis :
 10 per filicem, quodvis significans vitium.

EX ASTEMII FABULIS.

E2_71 v.1 Fallaci quondam irretitus ab aucupe turdus,
 2 et visco implicitus, talia maestus ait :
 3 "Haec indigna magis mihi nunc captura videtur,
 4 quod fata inducar rebus ad ista meis.
 5 Nescieram fieri nostro de stercore viscum,
 6 tantisper, donec perditus ipse fui."
 7 Ergo ut silvestres perdunt sua cornua capras,
 8 sic dominum perdunt intima nostra suum.

AD D. FRANCISCUM LOMBARDUM PATRONUM SUUM,
 DE EJUS LUSITANA HISTORIA.

E2_72 v.1 Se nescire quidem et numquam, Lombarde, fuisse
 2 quis non perinde duxerit ?
 3 Nam quid profuerit, naturam, quaeso, benignam
 4 habere, Fortunam quoque,
 5 si plane ignores, magnis te dotibus esse
 6 praestabilem, et beatum item ?
 7 Quorsum vero, inquis, dicuntur talia ? Tecum
 8 compendio verborum agam.
 9 Certe ut Naturam, ac Fortunam experta benignam
 10 gens Lusitana olim fuerit.
 11 Nemo tamen quisquam est inventus, condito ab aevo,
 12 qui doctus expertae suis
 13 aeternos scriptis famae protenderet annos,
 14 Lombarde, praeter te, hactenus.
 15 Naturae multum ac Fortunae debeat ergo :
 16 plus debet ipsa uni tibi,
 17 Cimмериis quod eam tenebris totam eruis, atque
 18 fulgere splendide facis.
 19 Scilicet historia, exacto sic ordine scripta,
 20 ut viceris Sallustium.

AD M. SCAEVAM.

E2_73 v.1 Quod prodest tellus ardenti culta labore,
 2 si fructus nullos rusticus inde capit,
 3 quod rigido prodest vitis versata ligone,
 4 si nulla Autumno fundere vina potest,

5 hoc certe, nec, Scaeva, magis prodesse videmus,
 6 ingrato quicquid dextra benigna dedit.
 7 Dum laudare duos tuus ille poeta poetas
 8 Vulteius voluit, messuit anthericum.
 9 Illorum alter eum plagii contemnat, et alter
 10 scripta ejus gerrhas qualiacumque vocat.
 11 I nunc, pasce lupos immites mitis : iniquam
 12 vertere naturam gratia nulla potest.

'Ainigma'

E2_74 v.1 Aenigma obscurum est, quod quisquam non habet, illud
 2 interdum ut possit perdere, nempe fidem.

AD GELLIAM.

E2_75 v.1 Ecce tibi magnos lacrimarum vertor in amnes,
 2 quando te a nobis mater iniqua vocat.
 3 Dii facerent ut nunc hic viveret illa, nec umquam
 4 eriperere, oculis unica cura meis.
 5 Interea maerore tamen cruciabor acerbo,
 6 te reducem donec tempora certa dabunt.
 7 Felix, o felix abeas ! Felicior autem
 8 huc redeas. Sine te gaudia nulla placent.

AD JANUM, JANI PERATANI PROPRAETORIS LUGDUNENSIS, FILIUM.

E2_76 v.1 Flos ut in arboribus jucundi tempore veris
 2 autumno fructus nuntiat innumeros,
 3 sic aetatis item maturae constat honestas,
 4 pubertas quoties ipsa probata fuit.
 5 Quo te, per Superos, Peratane, obtestor : ut olim
 6 incumbat studiis ista juvena bonis,
 7 ne simulac canae venies aetatis ad annos,
 8 in tua non modicus saeviat ora dolor.
 9 Nam, sacris vatium ex scriptis, occasio praesens
 10 cum semel elapsa est, tum Metanoea manet.

IN BASSAM.

E2_77 v.1 Transversim spectas formosas, Bassa, puellas :
 2 aspectus ille est Atticus.

IN OBITUM R. D. THOMAE PRATIANI,
 QUONDAM EPISC. CLAROMONTENSIS, ET MAECENATIS.

E2_78 v.1 Bis septem extinctos, Phoebi arcu vindice, natos
 2 dum videt, in saxum dirigit Niobe ;
 3 dum fratrem Heliades, dejectum fulmine lugent,
 4 prae lacrimis fiunt alnus electrifera ;
 5 Alcyon insiliens merso gemebunda marito,

6 in querulam prompte versa fuit volucrem ;
 7 post Priamum extinctum, Phrygiae post damna ruinae,
 8 maesta in latrantem versa canem est Hecuba.
 9 Si saxum est Niobe, si sunt Phaetontides alni,
 10 si Alcyon est volucris, si canis est Hecuba,
 11 cur metamorphosi formas non mutor in illas,
 12 cum mihi Macenas occidit ante diem ?

AD MARIANUM.

E2_79 v.1 Compedibus si te invitum tenet aula molestis,
 2 servire euparyphis si, Mariane, piget,
 3 cur in ea septem Autumnos consumis ? Ut inde
 4 avelli nulla condicione queas ?
 5 Nunc vero verum, sed quo nil verius, audi :
 6 te loto adfixum detinet aula suae.

DE FUSCO.

E2_80 v.1 Consumpto Fuscus luget patrimonio ; at illud
 2 vulgatum ignorat, Sero Phryges sapiunt.

AD CLEMENTEM MAROTUM, POETAM IMO SANE VERISSIMUM MARONEM GALLUM.

E2_81 v.1 Ne Latio Aeneae praeconem carmine vincas,
 2 nostratem ad rhythmum te Venus abripuit.
 3 Exsuperas in eo quotquot jam prisca tulere,
 4 victurus quotquot saecla futura ferent.
 5 Dii faciant ne te vincentem denique tantos
 6 ante diem invideant fata, Marote, tuis.

IN NAEVOLUM.

E2_82 v.1 Emendicatis fecisti frugibus offam,
 2 Naevole, sed fatuam prorsus et insipidam.
 3 Quantumvis sapit illa tuis, quantum attrahit illos,
 4 vix certe in tota est unica mica salis.

AD GODEFREDUM BERINGIUM.

E2_83 v.1 Musarum regem quicumque negarit Erasmus,
 2 dignus ad agnatos qui revocetur erit.
 3 Nescio vero quibus quid fiat, amice Beringi,
 4 qui dentes in eum, laudis amore, acuunt ?
 5 Hoc saltem norint, se in solem meiere : digni
 6 vel lapicidinis, vel brevibus gyaris.
 7 Regis enim tanti nunc carpere velle coronam,
 8 res sit ad Euphratem vertere digna solum.

IN PONTICUM.

E2_84 v.1 Multa domi celebras convivias, ceterum amicis,
2 Pontice, nil mittis : sacrificas Laribus.

AD GULIELMUM SCAEVAM, DE DURO.

E2_85 v.1 Durus, poeta agrestibus
2 Libethriis insuavior,
3 Thrasonica autem gloria,
4 humanitatem maximam
5 inesse cui speraveram,
6 humanitatem omnem exuit.
7 Humanitatem autem ? Imo hominem,
8 et nunc aculeos graves
9 se parturire jamdiu
10 minatur in nomen meum.
11 At, Scaeva Musarum decus,
12 conceperit mulae quidem
13 ad partum aculeos suos :
14 pariet calendis Hellados.

IN EUMDEM DURUM.

E2_86 v.1 Sim vel Mysorum, quando tibi, Dure, videtur,
2 vel Megarensium ultimus.
3 Et deplorata es dementia, et ista virorum
4 tui gregis sententia est.
5 Sed tibi veridicae solium recitabo Sibyllae,
6 oraculum et merum loquar.
7 Doctis atque probis, quot habet vastissimus orbis,
8 nullo loco, nullo numero es.

IN AMUSUM.

E2_87 v.1 Irato scribis Genio invitaque Minerva.
2 Ludis, Amuse, operam, perdis, Amuse, oleum.

SATIUS FLECTI QUAM FRANGI.

E2_88 v.1 Cedere nonnumquam magnatibus utile multum est,
2 cedere difficiles damnave, morsve manent.
3 Ventorum immensis quae flatibus obstitit arbor,
4 frangitur, et magnis flatibus icta cadit.
5 Quae non obstiterat, sed sese inflexerat arbor
6 magnis ventorum flatibus, illa manet.

AD G. RICHAEUM.

E2_89 v.1 Hoc tibi carmen habe, tibi dono traditur uni.
2 Effictum subita, vel properante manu.

3 Dante datum melius si qua ratione negaris,
 4 erres, tota etiam, care Richaee, via
 5 quod datur, aeternum est, aeterna poemata cum sint :
 6 tempore me certo certa sepulchra manent.
 7 Me vocitare tuum, multis vel dicere verbis,
 8 auribus est eadem cantio nota tuis.

AD N. BORBONIUM VANDOPERANUM.

E2_90 v.1 Cui sordent omnes Graeci simul atque Latini
 2 auctores, perquam iudicio stupido,
 3 quantum censurae mihi Pallas, Apollo dederunt,
 4 oppido eum indoctum, Vandoperane, puto.
 5 Nescio quid gravius Graecis, Graecissimus illi
 6 vocibus objectas, "esti brotos phonikos".

PHOENISCUSAE IN ADVERSIS PATIENTIA, 'mimêsis' IANI LASCARIS.

E2_91 v.1 Femineo ex animo virtutem, tam speciosam
 2 aetas numquam usquam viderat ulla prius.
 3 Phoeniscusa sui foedatum sanguine nati
 4 ulturi servum texit ab ense viri.
 5 Et nato exsequiis digno maerore solutis,
 6 nave occisorem sublevat atque cibo.
 7 Scilicet illa illi vitam mitissima servat,
 8 jam nato per quem facta sit orba suo.
 9 Illum etiam adjutans "Morti, inquit, te eripe : quando
 10 victurus non sit, si moriari, meus."

AD P. CRUSELLIUM, PARAPHRASIS PSALMI CXXVI

E2_92 v.1 Viribus humanis nulla est ecclesia : talem
 2 solius Christi est aedificare domum.
 3 Aedificatam autem nisi Christus servet eandem,
 4 innixa humanis corruet auxiliis.
 5 Vanum ac insanum est, Cruselli, abrumpere somnos
 6 quam reseret purum Lucifer ante diem.
 7 Te quamvis curaeque catenatique labores,
 8 anxia te quamvis sollicitudo premat,
 9 Ni favor, aut etiam caelestis numinis aura
 10 aspiret : sunt haec omnia vana nimis.
 11 Post Christi somnum, longamque absentiam, habebunt
 12 mercedem haeredes, regna beata poli.
 13 Haeredes sancto similes ardore sagittis,
 14 quae Scythicis actae viribus astra petunt.
 15 His vero satians mentemque animumque sagittis,
 16 aeterni quae sunt mystica verba patris,
 17 hostilem insultum non formidaverit umquam,
 18 cum veniet tenebris mors adoperta caput.

DE PADIO.

E2_93 v.1 Felix est Padius, cuncta infortunia vincit,
2 fortunamque suo temperat arbitrio.

AD JO. BIGNONEM CARNUTENSEM.

E2_94 v.1 Vel teste Invidia, vel Momo iudice, possunt
2 in medium versus, Bigno, volare tui.
3 Sunt tersi, ac nitidi ; Veneresque videntur in illis
4 certasse, et Charites Pieridumque chorus.
5 Si nolis jam aurem mihi recta negare monenti,
6 nec voto invidias commoda tanta meo :
7 tam scitos versus cariosis exime blattis,
8 nec tineas adeo nobile pascat opus.

E GRAECO 'tou Turbinou', DE BORBONIO.

E2_95 v.1 Credo ego Borbonii juvenis tinxisse labella,
2 implentem suavi nectare, Castalidas.

AD MURES, 'mimêsis' GRAECORUM.

E2_96 v.1 Ite alio mures, si vos capit uncta popina.
2 Nostra quidem certe est macra culina nimis.
3 Magnatum ac procerum pallatia quaerite vobis,
4 splendet ubi lautis mensa cupedinibus.
5 Si dentem in nostras acuetis denique chartas,
6 nostro eritis miseri prompta rapina cato.

DE VENERE MARMOREA.

E2_97 v.1 Ad Venerem efficta est Venus haec, quae in vallibus Idae
2 malum auream victrix tulit.
3 Defecta est lingua, ne humanos addita formae
4 verba ipsa pejus urerent.

ALIUD.

E2_98 v.1 Idaeam haec Venerem Venus anteit : si quoque haberet
2 vocem, et suadam vinceret.

IN MALOS MEDICOS, GRAECO PALLADAE.

E2_99 v.1 Iudicium Egemonis malim subiisse latronis,
2 Gennadii medicas quam subiisse manus.
3 Egemon humanam caedem exsecratur et odit :
4 accepto occidit Gennadius pretio.

DE JULIO SECUNDO ROM. PONTIFICE JOCUS.

E2_100 v.1 In Gallum, ut fama est, bellum gesturus acerbum,
 2 armatam educit Julius urbe manum.
 3 Accingis gladio claves in Tybridis amnem
 4 projicit, et saevus talia verba facit :
 5 "Cum Petri nihil efficiant ad proelia claves,
 6 auxilio Pauli forsitan ensis erit."

JOANNIS BURDELLOTI TUMULUS.

E2_101 v.1 Naturam nemo, Fortunam denique nemo
 2 perpetuam ac stabilem dicere jure queat.
 3 Burdelloto illi firmaque opibusque nimisquam
 4 florenti, o Parcae, vita minuta fuit.
 5 Doctrinam vero, qua nil pretiosius usquam est,
 6 subjectam fati, quis dubitare queat ?
 7 Burdelloto illi, cui Graeca Latinaque lingua
 8 nullum habuit similem, vita minuta fuit.
 9 Quem dum collatis Virtus et Gloria signis
 10 exaltare volunt, Mors violenta rapit.

AD FONTICANUM.

E2_102 v.1 Quidnam vis tibi, Fonticane, amabo,
 2 cui pallatia sola turricellis
 3 circumcincta gravi eriguntur aere,
 4 virtute ac probitate floccipensa ?
 5 Nam si tempus edax nimisque avarum
 6 Memphis pyramides cacuminatas,
 7 munitam Babylona coctili alto
 8 aram cornibus undequaque cinctam,
 9 Mausolea graves sua colossos
 10 mole, aedem triviae sacram Dianae,
 11 magnis amphitheatra cum columnis,
 12 Phoebi Pergama, scitulas Athenas,
 13 tamquam pamphagus helluo, voravit.
 14 Ista aeterna tibi futura speras
 15 aeternum miserande, Fonticane ?

AD GUL. MELLERIUM LUGDUNENSEM.

E2_103 v.1 Qui te Mellerium gentili agnomine dicunt,
 2 commendant generis te ratione tui.
 3 Quando autem scribis manantia carmina melle
 4 Hyblaeo, et Latiis jure sacranda tholis,
 5 agnomen muta, per Musas, numina vatium,
 6 et de Mellerio Melleus esto tuis.

DE REDITU GELLIAE.

E2_104 v.1 Irriguos fletus et maestos pono dolores :

2 pro maestis olim, laeta modo subeunt.
 3 Exoptata diu rediit mea Gellia tandem,
 4 quae praesens vitae est unica causa meae.
 5 Jam sectare, puer, violamque rosamque thymumque,
 6 ut fiat capiti festa corona meo.
 7 Trima etiam cellis depromas caecuba, tamquam
 8 nobisque et Genio fulserit ille dies.

DE PONTILO.

E2_105 v.1 Cum bile et stomacho me Pontilus excipit, acrem
 2 censorem vitiis me timet esse suis.

IN RUBIANUM.

E2_106 v.1 Es Crasso, Rubiane, quidem locupletior illo,
 2 quem Roma divitem vocat.
 3 Quae permagna ut sint, quidnam tamen omnia prosunt
 4 tibi ? Tibi, sic sordido ut
 5 Euclio Plautinus possit bene lautus haberi
 6 prae te, aut magis lautissimus.
 7 Arentem reddit te extrema famesque sitisque,
 8 ut poma, ut undae Tantalum.
 9 Ni cures, prius ac cymba rapiare Charontis,
 10 tecum redire in gratiam.
 11 Tum, Rubiane, tuo ex dimenso prodigus haeres,
 12 finem tibi ut mors fecerit,
 13 quanta quidem tota est substantia, conteret illam
 14 pessumque funditus dabit ;
 15 citra ullum radium, seu magno ex horreo, abunde
 16 vappis et impuris dabit.
 17 Finis erit, fundum simulatque perhauserit ipsum,
 18 proterviamve fecerit.

AD ILLUSTRISSIMUM D. A. BURGUM, FRANCIAE CANCELLARIUM.

E2_107 v.1 Post multas hiemes, quam caelum Astraea petivit
 2 nec vehemens aequi cura bonique fuit,
 3 istuc Caesareis evectum legibus esse
 4 te, Burge, aspiciens tum Dea laeta refert
 5 "Ergo erit unde queam mea demum regna tueri :
 6 imperium Burgus diriget iste meum."
 7 Dixerat, et dicto morem geris unus, in omnes
 8 verus Aristides, Aeacus atque Solon.
 9 Quantum felicem se Gallia sentiat olim,
 10 annis si Pyllo Nestore major eris ?

DE PHRYNE ET LAIDE JOCU.

E2_108 v.1 Et Phryne et Lais spurca convicia lingua
 2 in se jactabant, ut proba neutra fuit.
 3 Tum Phrynae Lais : "Si me commoveris, inquit,

4 dicam quae nec sint vera nec esse queant."
 5 Phryne irata : "Quid est in me quod dicere possis
 6 prostibulum ? " Huic Lais : "Casta, pudica, proba es."

GABIENIS TUMULUS.

E2_109 v.1 Exstinxit bibulam Gabienem Parca cruenta,
 2 cujus res gestas haec satis urna docet.
 3 Garrula semper erat, numquam non marcida vino,
 4 unde quidem haud modicas laeta voravit opes.
 5 Ille dolor solus nunc sub tellure jacenti,
 6 quod situlae vini copia nulla datur.

AD URSUM.

E2_110 v.1 Exspectet fructum qui semen credit arenae,
 2 aut vaga commissis litora bobus arat ;
 3 se modo felicem quisquam experiatur amando
 4 nec miser ex Croeso, Codrus inops abeat.
 5 Quod te igitur toties sum hortatus, perderis, Urse,
 6 quem misero incendit Fusciliana modo.

AD D. FRANCISCUM TURNONIUM S.R.E. CARDINALEM.

E2_111 v.1 Hortos Hesperidum magnum servasse draconem,
 2 Argum Io vanae est fabula spurcitiae.
 3 Historiae ut fuerint : clava Herculis occidit ictus
 4 ille draco, ipse Argus Mercurii gladio.
 5 Te vigilantem animo somnus numquam opprimit altus,
 6 rebus in humanis sollicitum atque sacris.
 7 O te prudentem, cujus prudentia semper
 8 divina humanis officia inseruit.
 9 Cardineum siquidem dispensans ordine munus,
 10 fastis Lugdunum consilioque levas.
 11 Lugdunum hinc multum, Antistes clarissime, felix,
 12 quod te rectorem contigit esse sibi,
 13 tutius acturo quam si vallabitur armis,
 14 quanta olim Xerxes aut habuit Darius.

BREVEM ESSE VOLUPTATEM.

E2_112 v.1 Gaudia magna quidem, verum fluxura repente,
 2 ne moveant sensus interiora pii.
 3 Exsultat toto male prudens vere cicada,
 4 gaudiaque ex blando laeta virore capit.
 5 Sed viror ut perit, perit ipsa cicada repente :
 6 ergo voluptatum gaudia vana fuge.

AD LOMBERIANUM.

E2_113 v.1 Vita amissa semel, numquam usque revertitur ipsum

2 in corpus. Sed nec, Lomberiane, fides.

AD GULIELMUM SCAEVAM.

E2_114 v.1 Paene Boyssonem, quo uno nil sanctius, atra
2 absorpsit variis fluctibus impietas.
3 Afflicto Pietas prope tardius adfuit. Imo
4 seminecem diris eripuit manibus.
5 Tandem aliquando tamen Pietati cessit iniqua
6 Impietas aequae, Scaeva, locumque dedit.
7 Sic solet esse viris mater Fortuna scelestis,
8 sic solet esse viris dura noverca piis.

AD D. FRANCISCUM STAMNAEUM LUGDUNENSIS ECCLESIAE CAMERARIUM.

E2_115 v.1 Quos generis splendor tabula jactare capaci
2 in ramos cogit stemmata clara suos,
3 quo, Stannae, sibi placeant videantur habere,
4 illud vero ipsum nil, nisi fumus, erit.
5 Cum vero praeter majorum lumina, claris
6 admixta est etiam Pallas imaginibus,
7 quo, Stannae, sibi placeant, videantur habere
8 atque haec perpetui gloria vera boni est.
9 Tu, praeter dignos generoso sanguine mores,
10 omnigena certe es Pallade conspicuus.
11 Ergo Stentorea exclamandum voce videtur,
12 vere esse hoc vera nobilitate frui.

JOCUS EX GRAECIS SUMPTUS.

E2_116 v.1 In somnis crepitus ventum demisit Anitus
2 ventrosus. Hoc tenuem ac levem
3 Macronem vento est jaculatus ab aedibus ipsis,
4 arcus sagittas ut solet.

JUSTA VINDICTA.

E2_117 v.1 Dum recubat vastum segnis Polyphemus ad antrum
2 ille Cyclops ad oves talia verba facit :
3 "Pascite vos herbas, ego Achivis pascar. Ulysses
4 in primis fauces imbuet ipse meas."
5 Contra, saevum Ithacus Polyphemum lumine privat,
6 auctorem ut sequitur debita poena suum.

DE SANCTE PAGNINO, AD THOMAM SERTINUM.

E2_118 v.1 Sancten parturiens aegro Natura labore,
2 horruerat tandem quid paritura foret.
3 Illi Mercurius : "Spera, et laetare : secundum
4 enixu hoc tanto Geryonem paries
5 qui mundo certe natus, virtute, Minerva,

6 religione etiam diva tricorpor erit.
 7 Tres illustrabit divas splendore corusco,
 8 dulcis erit Tuscis gloria, dulcis honos.
 9 Restituet sacri divina volumina Mosis
 10 ille vir Hebraea primus in historia.
 11 Hinc rude mortali corpus donabitur ipsum,
 12 Lugduni, ut felix spiritus astra petat."
 13 Mercurii rata verba quidem, Sertine, videbis,
 14 si modo perpendas ordine cuncta suo.

IN PONTILUM.

E2_119 v.1 Nostris versibus eruditus esse
 2 dum vis, Pontile, calvus es comatus.

IN CORDUM VOLERUM.

E2_120 v.1 Opprobriis quod me petulanter, Corde poeta,
 2 perfundis risu diffluo et emorior.
 3 Rumperis incassum. Aspernari quando latratus,
 4 non ulcisci etiam, me docet ille Dion.
 5 Si te sentirem doctumve probumve, moverer.
 6 Sed nihil es sanum, Corde, nihilque sacrum.

DE GETILA.

E2_121 v.1 Et Sappho citharis et pulchro Phyllida vultu
 2 vicerat aetatis flore Getilla suae.
 3 Et quam nupta diu Lauso est, servavit ad unguem
 4 illaesam quavis labe pudicitiam.
 5 Postquam Naturae concedens Lausus obivit,
 6 tum, juvene ex casta, vixit anus meretrix.

IN NAVIUM.

E2_122 v.1 Si convicia jactitaris in me,
 2 Navi, raseris Indicum leonem.

AENEAE IN PATREM PIETAS.

E2_123 v.1 Eripiens flammis proles Cytheraea parentem,
 2 hostibus oppositis talia fortis ait :
 3 "Parcite, nam vobis, sene raptō, parva futura est
 4 fama, ereptori summa futura mihi."

ALCONIS IN FILIUM PIETAS.

E2_124 v.1 A serpente rapti natum vix senserat, Alco,
 2 arcu in raptorem spicula certa dedit.
 3 Os praedatoris latum dum vulnus hiulcat,

4 e rapido natum liberat ore pater.
 5 Hoste triumphato, sacrantur in ilice tela,
 6 ut gemino victor clarus honore fuit.

AD C. SMARTANUN.

E2_125 v.1 Exhauriamus caecuba cantharis,
 2 Smartane, vastis. Prolue Massico
 3 jam labra laetus, nec recusas
 4 nunc Thasio indere Coa vino.
 5 Mavors cruoris nostri avidus jacet
 6 tandem revinctus compede ferrea.
 7 Bellona fraternae quieti
 8 addita deposuit furorem.
 9 Pax nunc triumphat curribus aureis
 10 evecta. Dives Gallia sordidam et
 11 multo situ contaminatam
 12 exilio misero evocavit.
 13 Hispaniis nunc Gallia jungitur
 14 faustis Leonorae auspiciis. Modo
 15 cum prole utrisque expetitam
 16 vitam agitare sua licebit.
 17 Ergo procellas sollicitudinum
 18 tristesque mentis pellere turbines
 19 tempus videtur. Candidae atros
 20 laetitiae excipiant dolores.

IN DEINAM.

E2_126 v.1 Cum faciem tingas, cur tingere, Deina, senectam
 2 non potes et rugas tollere fronte tua ?
 3 Ne stibio faciem occultes. Quicumque videbit,
 4 larvam illam poterit dicere, non faciem.
 5 Et mendax Helenam juvenem, licet usque labores,
 6 annosa fucus non facit, ex Hecuba.

G. SERVASII MEDICI BELLICIENSIS TUMULUS.

E2_127 v.1 Ille opera cujus Pylios veniebat ad annos
 2 vita hominum, vita, quam dedit ante, caret.
 3 Servasius medicus fato, inquam, victus acerbo,
 4 Naturae ante diem summa tributa dedit.
 5 Ante diem dederit. Laus conservabitur orbi,
 6 telluri corpus, spiritus ipse polo.

AD D. JOANNEM FORESTANUM.

E2_128 v.1 Quod legatus obis tam multa negotia rite,
 2 magnaue pro magnis regibus illa quidem.
 3 Inde Forestanus vocitari desinis, inde
 4 uno te ore omnes Mercurium vocitant,
 5 quando persuades scita omnibus omnia lingua,

6 quae Pitho assidue manat ab ore tuo.

AD C. SMARTANUM.

E2_129 v.1 Mnemosynes natis, ipso vel Apolline dignos
 2 accepi versus, docte poeta, tuos.
 3 Qui licet hoc habeant quod rari forte poetae
 4 praestiterint, mundos cum gravitate sales.
 5 Attamen hoc unum nulla ratione probarim,
 6 conferri me adeo vatibus egregiis.
 7 Nasoni quod Ducherium praeponis, ut illa
 8 Vergilio aequalem condicione putes,
 9 quam sit ridiculum, Smartane, et, mehercule, falsum :
 10 hic Criticus poteris, censor et esse tibi.
 11 Nam te apud ut mihi sim, non praeco, at verus Apelles,
 12 peniculoque meo me aptius effigiem.
 13 Ad myrthum insuavis jejunum eructo poema
 14 Mopsopio passim dulcius amne fluis.
 15 Phoebus es, et Phoebos tibi si me confero, fiam
 16 protinus extracta Marsya pelle tuus.

IN BESCODIANUM.

E2_130 v.1 Moschus et Anchimolus dici vis, Bescodiane,
 2 sis tamquam abstemius, cum mera vina bibas.

IN CORDUM VOLERUM.

E2_131 v.1 Principio quamquam incultissima carmina mittis,
 2 spes equidem de te nascitur alta mihi.
 3 Divinum sed te vatem dum spero futurum,
 4 Heraclidaeum vergis ad ingenium.
 5 Pro Musis muscas, crimen pro carmine mittis :
 6 inde tamen vero es, Corde, poeta tibi.

AD GULIELMUM SCAEVAM.

E2_132 v.1 Ne mihi jam quisquam labyrinthos, Scaeva, loquatur
 2 ipsa aditu faciles, difficiles reditu.
 3 Verior exstiterit labyrinthus Gellia nostra,
 4 exstructos passim mundi alios superans.
 5 Ut semel illius sum demum ingressus amorem,
 6 egressum ingresso non reperire licet ;
 7 sic Sphinio constans tota ex magnete, ligavit
 8 vi quadam attractum cor violenta meum.

AD A. PRATIANUM NANTOLLETTI TOPARCHUM, ET EQUESTRIS ORDINIS VIRUM.

E2_133 v.1 Istis cum talem virtus te cernit in annis,
 2 quo majora sibi polliceatur, habet.
 3 A teneris namque unguiculis, a mollibus annis

4 jamdudum, Antoni, rem facis egregiam,
 5 et patris et matris virtutem ardore virili
 6 aequare, et, si Dii dent, superare cupis.
 7 Fratres itidem accenso illius virtutis amore,
 8 qua quondam emicuit vester uterque parens.
 9 Ambo eritis Graiae veluti duo pignora Ledes,
 10 ipsi tu Pollux, Castor et ipse tibi.

IN MALOS MEDICOS, EX GRAECO AGATHII.

E2_134 v.1 Perna mihi dederat, medica vir notus in arte,
 2 natum, quo posset discere Graeca, suum.
 3 Ut docui, 'pollas psuchas Aidi proiapsen',
 4 et docili scitus protulit ore puer,
 5 perna scholis subito nostris subducit eundem,
 6 subducensque mihi talia verba facit :
 7 "Factis, non verbis, melius natum ista docebo,
 8 praeceptore alio non eget ille meus.
 9 Nam multas animas jamdudum mitto Charonti,
 10 citra ullam ullorum Grammaticorum operam."

AD ANTONIUM ALTOVITAM FLORENTINUM.

E2_135 v.1 Te tacitum vero sileam, Altovita, quem amicum
 2 expertus studiis saepe bonis fuerim ?
 3 At Musas etiam potius, Phoebumque valere
 4 iussero quam te unum praeteream tacitum.
 5 Quanto artes ipsas homines dignantur honore,
 6 tanto et amatores artium honore colo.

AD VITALEM FERETONIUM VALLAVENSEM, 'mimêsis tou Pallada'.

E2_136 v.1 Quantum testatur, Feretoni, carmine multo
 2 spirans Argolico Pindarus ore melos,
 3 pejor livore est miseratio, quandoquidem ipsa
 4 felices solos invidia exagitat.
 5 Si quos aerumnis Fortuna noverca flagellat,
 6 illorum humano nos animo miseret.
 7 Illorum alterutrum nihilo minus esse recusem,
 8 vel felix nimium, vel miserandus homo,
 9 excelsae quod sint vicina pericula sorti,
 10 contra demissus non toleranda ferat.

IN FLORUM.

E2_137 v.1 Sardonychias, smaragdos, roseo fulgore hyacinthos
 2 omnibus in digitis semper habere soles.
 3 Ad vinum nihil efficiunt hi, Flore, lapilli,
 4 quo vel luce una saepius obrueris.
 5 A Rubro pelago gemmas inde usque petitas
 6 depone : infensam Baccho amethyston habe.

DE PARIDE ET VULCANO.

E2_138 v.1 In Venerem ad Superos questus Paris acriter, illam
 2 Trojani causam dixerat excidii.
 3 Proque rea illi Vulcanus : "Miraris, inepte,
 4 si tibi pro malo dat Cytherea malum."

AD JOANNEM LYGAEUM, LINGONEM.

E2_139 v.1 Qualem Geryonem sacri poetae,
 2 et Graeci simul, et simul Latini
 3 fingant, id melius, Lygaeae, nosti,
 4 quam ut a Ducherio velis doceri.
 5 Si tecum tamen hic licet joculari
 6 scabris versibus et parum expolitatis,
 7 triplex Geryones quidem esse possis.
 8 Nam dote ingenii beatioris
 9 ille ille ingeniosus es Prometheus,
 10 necnon Proteus eruditione.
 11 Verum scommate, Momus ille mordax,
 12 qui ne caelicolis quidem pepercit.

AD EUMDEM.

E2_140 v.1 'Mousa mnêmona sumpotô Prokillon'
 2 vates entheus ille Martialis.
 3 Sic me, quod memini nimis tuorum
 4 promissorum, ideo oderis, Lygaeae.
 5 "Quorsum haec ? " dicis. Heri mihi libellum
 6 scis te pollicitum, idque flagitanti,
 7 ut me Musica pellicit trahitque.
 8 Si donasse negas, precarium illum
 9 mittas Ducherio tuo, videndum,
 10 remittendum etiam optima fide. Atqui
 11 si donasse mihi probes, libenter
 12 de te suscipiam, et libentius, quam
 13 si pendenda mihi pecunia esset,
 14 illa longe aliis locanda rebus.

VOTUM CINYRAE, EX GRAECO JULIANI.

E2_141 v.1 Hoc Nymphis Cinyras sacrauit rete, laborem
 2 flumineum cujus ferre senecta nequit.
 3 Vos sub aquis posthac laeti colludite pisces,
 4 quos Cinyrae tutos tarda senecta facit.

ARISTOMENIS TUMULUS, EX GRAECO ANTIPATRI.

E2_142 v.1 Cur in Aristomenis, volucrum regina, sepulchro
 2 constanti studio nocte dieque sedes ?
 3 Omnes praecipiti volucres ut vinco volatu,

4 sic Heroum etiam maximus iste fuit.
 5 Sidant imbelles timidorum ad busta columbae,
 6 contra ego delector fortibus ipsa viris.

IN SANCTRAM.

E2_143 v.1 Cum tibi, tolle pedes, quis clamat, Sanctra, loquenti,
 2 qua tum laetitia gestio, tollo manus.

AD JOANNEM FRANCISCUM GABIANUM.

E2_144 v.1 Dum Cancri Titan, dum flavi colla Leonis
 2 urit Virgineam nec minus inde domum,
 3 prudenti tum grana legit formica labore
 4 et cava congestis messibus antra replet,
 5 scilicet ut durum vitet, Gabiane, decembrem
 6 et quotquot menses nixque geluque premunt.
 7 Cum sinit, atque satis patitur robustior aetas,
 8 nunc sere, quod tandem curva senecta metat.

AD FAUSTINUM.

E2_145 v.1 Nulla mihi spes est, Fortunae matris habendae,
 2 quae mihi constanter dura noverca fuit.
 3 Sim pauper, Faustine ; tamen mihi libera vita est,
 4 unde graves cupidis sperno libenter opes.

AD CAROLUM MARRELATUM.

E2_146 v.1 Si te respiciat, si te perpendat, Ulysse
 2 majorem multo magnus Homerus habet.
 3 Ille hominum mores multorum vidit et urbes,
 4 vidisti innumeros, Carole, et innumeras.
 5 Viginti ille annis, tu anno velocior uno.
 6 Ille senex, contra, Carole, tu juvenis.
 7 Ex visis etiam nihil umquam scripsit Ulysses,
 8 tu scriptis mandas omnia visa tibi.
 9 Cum visis autem plusquam dicaris Ulysses,
 10 tum tibi praeco, nihil prorsus Homero egeas.

DE MEDIOCRITATE, AD M. POCULOTUM.

E2_147 v.1 Mi Poculote, quem unum amavi maxime,
 2 tunc quum Tolosae sub magistris viximus,
 3 et nunc amo, idque amore neutiquam levi :
 4 mediocritatem esse optimam nemo neget,
 5 Graecum modo ille lectitarit Palladam.
 6 Etenim petentes summa, sibi periculum
 7 vocant et asciscunt, petentes infima,
 8 ludibrium et convicium sibi vocant.

IN NERVAM.

E2_148 v.1 In te victuris ne versibus invehar, illud
 2 cum male Nerva times, tum bene Nerva cupis.
 3 Cum frustra iste timor, tum frustra est ista cupido,
 4 securus per me dormi in utrumque oculum.
 5 Fornicis obscuri madidum tibi quaere poetam,
 6 si cupias, vano laudis amore, legi.
 7 Induci nequeunt, nostra ut te carmina laudent,
 8 et tua frons nostro stigmatem digna parum est.

DE STAPHYLACE.

E2_149 v.1 Orator fuerat teneraque aetate poeta,
 2 aetatis medio tempore grammaticus.
 3 Pervenit canos Staphylax indoctus ad annos,
 4 Maevius, aut certe Cherilus, aut Bavius.
 5 Hoc rem divinam facere est, Latiisque deabus
 6 sacrificare modo moreque Mandrabyli.

DE GABRIELE SYLVANO MEDICO.

E2_150 v.1 Praxagoram, Asclepium prima aetas vidit, eisdem
 2 ornavit medicis se medicina prior.
 3 Successu Hippocratem vidit, viditque Galenum,
 4 quos primas partes obtinuisse liquet.
 5 Si medicina tamen medica spectaret in arte
 6 Sylvanum, vere dicat eum medicum.
 7 Mortis enim fecit crebro tela irrita, vitae
 8 corpora restituens semisepulta suae.

IN PLAGIARIUM, EX GRAECO ANACREONTIS.

E2_151 v.1 Redde suas avibus plumas, cornicula, risum
 2 ne moveas : non es picta colore tuo.

AD P. CLEMENTEM HEDUUM.

E2_152 v.1 Meministi, opinor, quando legeris mihi
 2 haud pridem iambo seu tuos, seu non tuos,
 3 quisnam meus tum sensus exstiterit. Tamen
 4 quando rogasti saepe saepius me, idem
 5 scripto ut docerem, verbo ut ante feceram
 6 morem geram tuae voluntati optimae,
 7 Clemens, o Clemens, imo clementissime :
 8 diffusior ne sim, modo sic rem accipe.
 9 Versus iambo rite constantes suis
 10 scripsisse recte neminem vidi hactenus,
 11 si norit iambo modo, et sedes iambo,
 12 qui non iambo sedibus paribus locet,
 13 aliquando tribrachos. Passim in imparibus licet

14 spondeum, iambum, dactylum, anapaestum atque item
 15 tribrachum videre. Ars impares autem vocat
 16 grammatica primam et tertiam et quintam ; pares
 17 vero secundam et quartam et ultimam. Ultimae
 18 quoties videbis insitum anapaestum, scias
 19 indifferentem sedis ultimae ultimam.
 20 Contra qui agat, nimis ac nimis poeta sit.
 21 Spectaculum facturum idem nominis
 22 sui, suae cum infamia famae ac nota :
 23 licet Terentios, licet Plautos citet,
 24 licentiarum comicarum homo rudis.
 25 Senecas, Marones atque Horatios mihi
 26 testes habebis forte locupletes satis,
 27 contra poetas nescios poetices.
 28 Verum haud negarim, posse nonnumquam id genus
 29 sic praeteriri regulas, parce id modo
 30 fiat, nimis nec libere, aut anxie nimis.

IN ASSENTATORES.

E2_153 v.1 Assentatori sese indulgere, periculum est :
 2 letale est mulsum, est melle litus gladius.

IN AULUM.

E2_154 v.1 Plurima conscribit, sed quae non publicat Aulus ;
 2 ita in tenebris saltitat.

DE SARPEDOLA.

E2_155 v.1 Decoxisse mihi numquam est Sarpedola visus ;
 2 fecit proterviam magis.

AD D. JOANNEM PERATANUM LUGDUNENSEM PROPRAETOREM.

E2_156 v.1 Virtutis, Peratane, tuae splendorque nitorque
 2 invidiae fumos discutit et tenebras,
 3 ut gelidas Titan lucenti ardore pruinas,
 4 dum flavum Aurora tollit agente caput,
 5 praecipue quando es, Francorum si quis in orbe,
 6 verum incorruptae justitiae specimen.

AD EUMDEM, DE JOANNE LYGAEO.

E2_157 v.1 Praetorum decus omnium, qui habentur
 2 usquam denique gentium aut locorum,
 3 si morum ergo item et eruditionis
 4 commendabo tuum tibi Lygaeum,
 5 illum cognitum habes satis superque,
 6 ut res haec operae sit otiosae.
 7 Commendo amplius inde, quod per illum,

8 haudquaquam utilitate paenitenda
9 Gallorum, ex Latio sacri diserte
10 auctores modo Gallice loquuntur.

IN PATARELLIUM.

E2_158 v.1 Frustra est Andino meditari proelia versu,
2 Nasonisve elegos dexteritate sequi.
3 Nequicquam est satyras Venusina audere papyro,
4 frustra est soccorum te gravitate trahi.
5 Vis audire tuo Patarelli carmine dignum ?
6 Ingenio necnon scribere digna tuo ?
7 Aurigam puerum causantem incendia terrae,
8 aut cataclysmatum Deucaliona potes.

IN GRALAM AVARUM.

E2_159 v.1 Nec das, nec frueris pecuniarum
2 magno pondere, sed tuo reservas
3 haeredi, inde suo sibi futuro,
4 quando nunc tuus esse, Gralla, non vis.
5 Cum vero hoc facis, ut draco superbus
6 custos arboris aurifrondis olim,
7 ut custos vigil elegantis Ius,
8 ipsi caelicolae, omnium rogatu,
9 in te Mercurium Herculemque mittant.

BENEDICTAE BLANCHIAE CUMULUS.

E2_160 v.1 Rapta est ante diem, fatorum haud legibus aequis,
2 suae parenti Blanchia,
3 quae candore suo candentia lilia longe,
4 nivesque primas vinceret.
5 Dulcia facundis spirabat mella labellis,
6 et cum croco Paesti rosas.
7 Hermionen forma vincebat, corpore Ledam,
8 utraque multo castior.
9 Hanc rapuit tantis ornatam dotibus olim
10 avara fatorum manus.

AD ANT. PRATIANUM,
NANTOLLETI TOPARCHUM, ET EQUESTRIS ORDINIS VIRUM.

E2_161 v.1 Castora, Pollucem, nisi forte est vana poesis,
2 concepit miro Leda venusta modo.
3 Ambobus trepidi sacrant sua carbasa nautae,
4 cum ciet aequoreas plumbeus Auster aquas.
5 At deitas, quali Deus est cum Castore Pollux,
6 priscorum fuerat vana superstitio.
7 Te dedit Antoni et fratrem Natura parenti
8 alma tuae, similes ore, pares animo,
9 illo dissimiles, quod eum sibi sancta dicavit

10 Pallas, te autem Mars esse suum voluit.
 11 Si permittantur vivis mortalibus arae,
 12 nemo vos certe nolit habere Deos.

IN CALVUM, 'mimêsis' MARTIALIS.

E2_162 v.1 Mastaurus furto taurum mihi sustulit unum,
 2 hic te patronum, Calve, mihi facio.
 3 Pharsaliam, Xerxem, Centauros, Punica bella
 4 dicis, eoque tibi nomine, Calve, places.
 5 Quorsum haec ? Clepsydras aqua dudum deficit omnes :
 6 paucula de tauro, Calve, loquare meo.

AD CHRISTOPHORUM RICHERIUM.

E2_163 v.1 Intractabilior sane vel durior essem
 2 Arcadiae, neque non rupibus Armeniae.
 3 Si te praeteream tacitum, divine Richeri,
 4 optima quem summum principem habent studia.
 5 Non quod nostra satis te carmina digna putemus,
 6 carmina Bistoniam frigidiora nive,
 7 verum ne ingratus tibi sim, quem exceperis ipse
 8 ignotum humano comiter officio.
 9 Nec defluxurum id memori mihi mente putaris,
 10 hosce artus quantum spiritus intus alet.

EX GRAECO THEOGNIDIS.

E2_164 v.1 Vinum, si nimium sumatur, res mala certe est ;
 2 si modicum vero, res bona non mala sit.

AD GUIELMUM SCAEVAM.

E2_165 v.1 Scaeva, tui splendor Lugduni, carmine cujus
 2 nil tersius, nil purius,
 3 quaerenti cuidam, Macrini carmina quanti
 4 pendam poetae, aliud nihil,
 5 respondi quam quod, vel Momo iudice, mellis
 6 medulla sit suavissima.

DE EODEM MACRINO.

E2_166 v.1 Dicere, Macrinum scitum non esse poetam,
 2 hoc est infantem dicere Mercurium.

'Mimêsis' ARCHIPOETAE GALLI AD PAULUM GALTERUM MATISCONENSEM.

E2_167 v.1 Si juvenis, si etiam puer est, ut pingitur, orbem
 2 saeculis tam multis unde triumphat Amor ?
 3 Si vere est oculis captus, quo pessimus astu

4 in cor humanum spicula certa vibrat ?
 5 Si timidus plane est, cur sic hominumque Deumque
 6 in vim ejus timidi multa querela venit ?
 7 Si pennis caelum queat ipsum scandere, qui ergo
 8 cor habitat, tamquam regia tecta, meum ?
 9 Si vero est dives, si argento, si affluit auro,
 10 cur miser it nudus, cur sine veste miser ?
 11 Si Natura omnes vitare adversa jubemur,
 12 illum, hostem nostrum, cur miseri sequimur ?
 13 Hinc, Galtere, liquet : toto hujus tempore vitae
 14 mortales miseros nil nisi vana sequi.
 15 Ergo aequum fuerit, regni caelestis amore,
 16 comprimere affectus cum ratione malos.

JOANNIS LASSARDI MEDICI TUMULUS.

E2_168 v.1 Hic ego Lassardus parva constringor in urna,
 2 quam pedibus calcas, lector amice, tuis.
 3 Id, quod es, ante fui ; quod nunc sum, mortuus idem
 4 illud eris, nam omnes talia fata manent.
 5 Nostro ne rogites fuerint quae praemia fini
 6 nescit nunc corpus : sola scit hoc anima.

MALAM COGITATIONEM IN IPSUM COGITANTEM CADERE, EX DANIELIS CAP. XIII.

E2_169 v.1 Laverat ad vitreum fontem Susanna pudica,
 2 qua medius penitis partibus ortus erat.
 3 Spurca duos in eam seniores Idalis ergo
 4 suscitatur et validis ignibus urit Amor.
 5 Lex erat, oppeteret deprensa ut adultera saxis,
 6 illa Palaestinis inviolata quidem.
 7 Immotam frustra senior vesanus uterque
 8 dum lactat precibus sollicitaturque minis,
 9 delata est neque non innoxia dedita poenae,
 10 testibus ut tantis credita res facile est.
 11 At falsi demum convictis testibus, ipsi
 12 supplicio exemptae reddita fama sua est.
 13 Saxa luunt falsi seniores : quando sequuntur
 14 commenta auctores perniciose suos.

DE CORDO VOLERO.

E2_170 v.1 Cordus mense uno scripsit didicitque duobus
 2 clepsydris quicquid protulit, inde tribus.
 3 Versibus oravit furto ex auctoribus emptis,
 4 contra praeceptum, Quintiliane, tuum.
 5 Orator tamen est, lixisque cocisque duobus,
 6 quales ipsa quidem procreet Utopia.

IN LAGUM.

E2_171 v.1 Cum, me monendo, tempus insumis, Lage,

2 urbanum, agrestis : scire vis nunc quidnam agas ?
 3 "To phos danizeis helio", quod dicitur.

AD ANTONIUM MOIINIUM, DE AVARITIA VITANDA.

E2_172 v.1 Si quantos fluctus, si quantas Pontus arenas
 2 Euxinus versat flatibus assiduis,
 3 si quanta obscuras per noctes sidera fulgent,
 4 finibus ut Titan mergitur occiduis,
 5 si quanta resonant ferventi aestate cicadae,
 6 messor ubi curva falce metit segetes,
 7 si quanta quoque apes Sicula recreantur in Hybla,
 8 cum dulcem herbicomo vere thymum lacerant,
 9 si quantis solis multo est obscurior Ida,
 10 cum tegit argutas fronde sua volucres,
 11 tantas fundat opes dextra Fortuna benigna,
 12 insatiabilium vota hominum excipiens.
 13 Nil satis est cupidis, prius aucta augere laborant,
 14 ut miseros inhians urit avaritia.
 15 Ut bibit Hermi undas, oculo haurit avarus Hidaspem,
 16 ex Croeso cupiens Crassus adhuc fieri.
 17 Jure, Molini, igitur Crates demerserat aurum,
 18 quo cum et habere satis se sibi non potuit.

PARUM TUTAM ESSE TYRANNIDEM.

E2_173 v.1 Damocles Dionysio tyranno
 2 assentans nimis impudenter, illum
 3 in primis vocitaverat beatum,
 4 quod mensis studiosius paratis,
 5 a formidine liber, uteretur.
 6 Is contra timido sciens tyranno
 7 obversantia perpetim pericla,
 8 in lautis epulis male aestimantem
 9 Damoclem statuit. Piloque latum
 10 ensem praetenui parumque fido
 11 suspendit, miseri prope imminentem
 12 cervici, ut male sobrium doceret
 13 haud quicquam in trifido orbe cogitari
 14 securum minus atque sint tyranni,
 15 quos multae species periculorum
 16 vexent assidue anxiosque reddant.

AD BARPTOLEMAEUM PERATIUM ; EX PALLADA GRAECO.

E2_174 v.1 Non, ut Homerus ait, porcos trivenefica Circe
 2 illectos homines reddidit atque lupos ;
 3 verum extorquendo Croesos vertebat in Iros,
 4 ut lucri justo plus studiosa fuit
 5 et deturbatos sanae de cardine mentis
 6 claudebat plusquam carcere cimmerico.
 7 Quam tamen astute, Perati, sprevit Ulysses,
 8 ut bonus, ut prudens, ut bene cautus erat.

9 Mercurii vero moly sprevisse, negarim,
10 sed quod erat casto praeditus ingenio.

AD CODIANUM.

E2_175 v.1 Ne magnus temere exiguos, Codiane, laccessas,
2 serpho ac formicae nam sua bilis inest.

IN CALVUM.

E2_176 v.1 Ungis te, quod ait vulgata paroemia, melle :
2 dum tibi blandiris, Calve, nimisque places.

AD CAROLUM FONTANUM, PARISIENSEM.

E2_177 v.1 Si, Fontane, suos meus libellos
2 "Nugas" Borbonius solet vocare,
3 quod sint illepidi, invenustulique,
4 eum errare putaverim, vel esse
5 poetam haud nimium sibi placentem,
6 ne dicam nimis ac nimis modestum.
7 Contra ego illius eruditionem
8 necnon dexteritatem in omne summam
9 scribendi genus ac suavitatem
10 mellitam inspiciens, cum eo, si eosdem
11 "Nugas" dico, equidem Catullianas
12 tum dico, ut lepidos, venustulosque.

AD BARPTOLOMAEUM ANULUM.

E2_178 v.1 Doctrinae, encyclopaediam quod unus
2 perfectam efficias, et absolutam,
3 non injuria es Anulus vocatus.
4 Et si carmina tersiora possem
5 dextro Castalidum exarare coetu,
6 vivam, ut illa tibi dicata vellem,
7 unus quod mihi, si quis inter omnes,
8 dignus Castalio choro videris,
9 orator bonus, et bonus poeta :
10 si quisquam esse potest mihi, absque fuco,
11 orator bonus et bonus poeta.
12 Sic, me iudice, et omnibus disertis,
13 doctrinae encyclopaediam quod unus
14 perfectam efficias et absolutam,
15 non injuria es Anulus vocatus.

AD R. D. ANTONIUM PRATIANUM,
QUO DIE TT SANCTAE ANASTASIAE CARDINALITIO GALERO DONATUS EST.

E2_179 v.1 Olim caelum humeris Atlas gestasse putetur,
2 si fidei quicquam sacra poesis habet.

3 At tandem rejecit onus, fractusque labore
 4 Alciden nimio in pondere fulcrum habuit.
 5 Tu vero Antoni (quare est tua gloria major,
 6 cretura in majus posteritate sua)
 7 Francorum regnum ter denos circiter annos
 8 rexisti, nullo tempore factus iners.
 9 Hinc concessa tibi a Romano purpura patre est,
 10 virtutem ut magnam praemia magna decent.

EJUSDEM R. D. VITA DEFUNCTI TUMULUS.

E2_180 v.1 Vanum est ad mortem magnorum flere virorum :
 2 maerore excusso, gaudia pura velim,
 3 vel nunc praecipue, qua luce Antonius ipsi
 4 naturae solvens debita mortem obiit.
 5 Pro meritis, quae illi Romana ecclesia debet,
 6 et quae debet item Gallia, caelum adiit,
 7 deque nota Superos nobis meliore precatur,
 8 atque suo erga nos cessat amore minus.
 9 Nam si mundi hujus nos cultor amavit, Olympo
 10 adscriptus, cur nos non amet ergo magis ?

DE JOANNE ET FRANCISCO FRAELLAEIS.

E2_181 v.1 Phoebe parens numeris, cui soli est sacra poesis
 2 subdita, cumque tuo Calliopea choro,
 3 qui fit ut e multis ad multos millibus, ipsi
 4 Fraellaei prorsus nullum epigramma habeant ?
 5 Istud ne oblique factum arbitrentur : eam ob rem est,
 6 exsuperant vires ingeniumque meum.

AD JOANNEM ROSSETUM.

E2_182 v.1 Sedula ubi vernum late lustravit Hymettum
 2 succis et variis ora replevit apis,
 3 mellificatura ut quaecumque alvearia liquit,
 4 Danesii demum sidit in ore mei.
 5 Hinc Graeco sane est, hinc est, Rossete, Latino
 6 post homines natos primus in eloquio.

DE SULPITIO SAPIDO.

E2_183 v.1 Si cui non sapiat Sapidus sapidissimus, ille
 2 saccharon acre putet, dulcia mella neget.

AD D. GILBERTUM FILLOLLIUM GANNIACENUM NEALPHENSEM COENOBIArchAM.

E2_184 v.1 Tempora cum longo vigeant deformia bello,
 2 armorum et studiis omnia regna fremant.
 3 Miror, adhuc nostris Musas superesse diebus,
 4 cum Musis placeant otia, tuta quies.

5 Sed te, Fillolli, sed te, quo is cumque sequuntur
 6 unanimesque tuum concomitantur iter,
 7 scilicet expertae, sibi tecum tutius esse,
 8 vel ruri, quam si magna theatra colant.
 9 O te felicem, Musarum qui alter Apollo
 10 diceris ac Latii duxque paterque chori.

AD P. RUPEFORTEM GANNIACENUM.

E2_185 v.1 Quae caelum ergo Jovemque ter beatum
 2 votis praecipuis velim rogare,
 3 clara voce nec obruto susurro,
 4 jucundissime Rupefortis, haec sunt.
 5 A Croesorum opibus vel Attalorum
 6 longe abest animus ; libens avaris
 7 curam illam sitientibus relinquo,
 8 ut nummis inhient, satis putarim
 9 et victum tenuem et togam modestam
 10 citra lautitias cupediarum,
 11 citra purpureas item lacernas.
 12 Angustum et breve rus libenter optem
 13 ad pelluciduli Vironis amnem,
 14 cum sacris ubi victitare Musis
 15 securo liceat, minusque curis
 16 distringi gravibusque edacibusque.
 17 Quod si contigerit, favore Divum
 18 aspirante, mihi quies petita ;
 19 civilem tibi habeto disciplinam,
 20 qua subvulturii replent inanes
 21 Scaevolae loculos et Africani,
 22 rivali sine me. Id nihil gravabor,
 23 modeste id patiar, feram id libenter.
 24 Inter Pierias ego sorores
 25 aut mordaci epigramma lotum aceto
 26 effundam, aut elego gemente dicam
 27 quos noctu atque diu parit labores
 28 mihi Gellia saevius flagranti.

AD BALTASAREM GABIANUM, PATRICIUM LUGDUNENSEM.

E2_186 v.1 Quod Natura parens geminas tibi tradidit aures,
 2 linguam tantum unam, non ratione caret ;
 3 scilicet, ut discas permulta audire, loqui autem
 4 perpauca, ingenii quod, Gabiane, boni est.
 5 Virtutem primam esse putat, compescere linguam,
 6 formator morum maximus, ille Cato.
 7 Oreque compresso indixere silentia quondam,
 8 Harpocrates Graiis, Angerone Latiis.

AD PRAGMATICOS, DE ARACHNE TEXTRICE LUGDUNENSI.

E2_187 v.1 Vivere ut audivit Lugduni Pallas Arachnen
 2 alteram, ei multos est meditata pedes.

3 Cui Venus : "Haud equidem mutabis, iniqua, puellam.
 4 Pragmaticis etenim talibus illa mea est.
 5 Cum quibus Eumenias formosa, et Thaidas inter,
 6 conjugē clam, noctes lusitat atque dies."
 7 Dum Venus et Pallas certant, Neptunus eamdem
 8 altis lenti Araris fluctibus eripuit.
 9 Reddidit ereptam demum, sed mortuam. Habete
 10 Pragmatici vobis lusum aliunde alium.

DE POLA, AD P. TOLETUM MEDICUM.

E2_188 v.1 Oblatum postquam percurrit Polla Catullum,
 2 docta eadem multum casta, Tolete, parum,
 3 ut, praeter famam, casta esset itemque pudica
 4 talem ultra Oceanum iussit abire librum.
 5 Scribere gentiles id non vult Polla poetas,
 6 ipsa quod, etsi adeo relligiosa, facit.

AD PHILIBERTUM GIRINETUM, AMICUM NON VULGAREM.

E2_189 v.1 Arripui calamum, sed saepe, ac saepius illum,
 2 quo multum ad multos scriptum epigramma mihi est.
 3 Ad te scribendum ut veni conamine toto,
 4 eripuit furtim Musa manu calamum.
 5 Et mihi rem insuetam miranti haec verba locuta est :
 6 "Heus tu de tabula, parve poeta, manum.
 7 Cur paucis illum tentas describere verbis,
 8 immensum ac justum qui mereatur opus ?
 9 Ne tamen in libris illum tacuisse duobus
 10 credaris, quadam percitus invidia ;
 11 illum illo multum commendes nomine, doctos
 12 in magno pretio quod Girinetus habet.
 13 Raenerium in primis, quo praeceptore per annos
 14 usus non paucos, doctus et ipse quidem est."

DE SEBASTIANACTE CASTALIONE SABAUDO.

E2_190 v.1 Ite alio, ite alio, rupes, et saxa Sabaudis
 2 qui tantum amentes dicitis esse meis.
 3 Postquam Castalio sese natum asserit illis,
 4 idem Castalii gloria prima chori.
 5 Aetate Astyanax, doctrina est Nestor, et illa
 6 certe quae reddit liberio rem hominem.
 7 Felix inde magis, quam si anni tempore toto
 8 pingua centenis jugera bobus aret.

AD EUMDEM CASTALIONEM,
 DE BARPTOLEMAEO, ET JOANNE ARGENTERIIS MEDICIS.

E2_191 v.1 Tantum Argenterios medica laudarat ab arte
 2 Calliope, et tantum crediderat medicos.
 3 At vero tandem postquam communia tecum

4 esse illis scivit, Castalio, studia :
5 illos esse suos pleno nunc asserit ore,
6 contenditque suis adnumerare choris.

AD JOANNEM MEGETTUM, JURIS UTRIUSQUE DOCTOREM.

E2_192 v.1 Si cui concessum est civilia noscere jura,
2 summorumque sacros Pontificum canones,
3 inter causidicos Lugduni hoc tempore claros
4 te, Megette, unum dicere non dubitem.

AD ODNEM ROCQUAEUM,
EQUITEM HIEROSOLYMITANUM, ET SANCTI AMANDI TOPARCHUM.

E2_193 v.1 Laudat Pollytropum vates Smyrnaeus Ulysem,
2 urbes quod multas viderit atque homines.
3 Tu mihi censeris, Rocquae, aequandus Ulyssi,
4 qui loca vidisti plurima, et illa sacra,
5 in quibus humani generis servator et auctor
6 nostras, heu, sordes abluit et maculas.
7 Factus eques tandem es Solymorum, adversus iniquos
8 Thracas, Christi hostes impietate truces.

AD CLAUDIUM ATHENODORUM, MEDICUM CLARISSIMUM.

E2_194 v.1 Vitam si cuiquam praestant mea carmina, praestent
2 Athenodoro uni meo,
3 qui medicus vitam non paucis reddit et illis
4 mortis peculio additis,
5 vir tantus, quantum nemo laudaverit apte,
6 poeta quamlibet bonus.

DE LYCIDA, ET CHLORI JOCUS, EX RYTHMO MEI MAROTI.

E2_195 v.1 Venalem Lycidas porcam ducebat in urbem,
2 ducentique comes rustica Chloris erat.
3 Cum subito instinctu plusquam ignea coepit agrestem
4 ad Veneris lusus sollicitare comes.
5 "Sed porcam interea cui credimus ?" inquit. Et illa
6 suave illi ridens : "Sit meus iste labor."
7 Adligat ergo pedi porcam ; acer rusticus instat
8 jusso operi, ut Chlorim territa porca trahat.
9 "Artus, exclamat, coepto te adstringe labori,
10 mi Lycida : invitam me pede porca rapit."

AD GELLIAM.

E2_196 v.1 Quin certe collata tibi sint nigra ligustra
2 lilia nigra etiam, nigra colostra etiam ;
3 quin membrorum Helenam recta compagine vincas,
4 quin Ledam vultu, nemo negare queat.

5 Ossea sed non es, sed carnea mehercule non es :
 6 saxea, vel potius rupea, crede mihi, es.
 7 Tam lacrimis vel tam precibus mollescere nescis,
 8 quam ferro durus frangere sese adamas.
 9 Tamquam dura silex, tamquam Marpesia cautes,
 10 ne transversum unguem, Gellia, mota manes.

DE INVIDIA.

E2_197 v.1 Se solam Aetna urit, propriis tota ignibus ardens,
 2 se solam propriis ignibus Invidia.

FALSIS LAUDIBUS MINIME IN SOLESCENDUM, 'mimêsis' ALCIATI.

E2_198 v.1 Isidis effigiem segnis gestabat asellus,
 2 Aegyptiorum ritibus.
 3 Obvius ut divam populus reverenter adorat
 4 precesque pronus concipit ;
 5 amens illum asinus sibi haberi credit honorem,
 6 et totus insolens tumet,
 7 donec agazo illi, "Frustra hunc tibi scribis honorem :
 8 est Isidis, non est tuus.

AD JANUM GUTTANUM.

E2_199 v.1 Carmina vernarum agrestem redolentia linguam
 2 dignaque vel circo carmina vel trivio,
 3 carmina quae propter mutata vatinia nolis,
 4 carmina ramento sulphuris empta levi,
 5 carmina quidam, inquam, stupidus, Guttane, poeta,
 6 ut sua lecturiens asserit esse mea.
 7 Id ne credideris, nec corvi psittacus Indus,
 8 nec loquitur voces anseris albus olor.
 9 A nostro procul est caligo poemate tanta,
 10 pennis quod nitidis gemmea fama vehit.

AD STEPHANUM FONTANUM SUESSIONENSEM.

E2_200 v.1 Plurimum concordia rebus addit,
 2 sint licet multum tenues, et artae
 3 regius quantum docet erudito
 4 carmine Psaltes.
 5 Sicut unguentum senis ex Aronis
 6 vertice emanans roseos odores
 7 fundit ac nares recreat suavi
 8 halitu et aura ;
 9 sicut et tellus madefacta puro
 10 rore paulatim cupido colono
 11 annum fenus parit atque laetis
 12 ridet aristis ;
 13 sic ubi humanas adamante vero
 14 illigat mentes Pietas, adauget

15 gratiam in nobis Deus, et secunda
 16 omnia fiunt.
 17 Ergo debemus studio fideli
 18 esse constantes in amore sancto,
 19 quamdiu, Fontane, caduco in isto
 20 vivimus orbe.

DE MENALDO.

E2_201 v.1 Musarum olores quod poetas dixerim,
 2 carmen Menaldus ridet impudens meum.
 3 Si graculum illum, vel asinum Arcadiae vocem,
 4 ridebit idem, quamlibet vere vocem.

POETA DE SEIPSO.

E2_202 v.1 Pasco cibus animum quorum ratione Tonanti
 2 jam nihil invideo nectar et ambrosiam.
 3 Nauseor et plane stupidus dulcedinem ad omnem,
 4 affirmem prae illis acria mella cibus.
 5 Scilicet una meum cor Gellia pascit, ad illam
 6 omnes certe unam delicias refero.

IN LYGDULUM.

E2_203 v.1 Gerras et menas tua, Lygdule, carmina dixi :
 2 si quid peccatum est, ut libet, illa voces.

DE I. GUTTANO, ET B. CURTIO.

E2_204 v.1 Quamvis Guttatius paucis cedentia scribat
 2 carmina, vel nullos non habitura dies,
 3 Curtius ipse minor scribendo carmine non est :
 4 major, quod palmam jure in utroque tenet.
 5 Plura addens de illis, quantumvis vera, videbor
 6 sive assentator, sive poeta nimis.

IN OBITUM FRANCISCI VIENNAE DELPHINI,
 ET CHRISTIANISSIMI REGIS PRIMOGENITI.

E2_205 v.1 Siccine Mercurii partim rata verba fuere ?
 2 Mercurium partim spes sua falsum habuit ?
 3 Franciscum specimen Naturae, ad maxima natum,
 4 et laeto, et blando lumine conspiciens :
 5 "Cresce benigno, inquit, tibi Marte, favente Minerva,
 6 conciliaturus maxima quaeque tibi."
 7 Senserat in quartum sibi amicam Pallada lustrum,
 8 ex aequo humanis gratus itemque Deis.
 9 Sed tandem ad bellum sperato Marte secundo
 10 adversum Insubriam, Parthenopen, Ligures.
 11 O scelera, o fraudes, o Diris et cruce dignam

12 invidiam, occulti tabe veneni obiit.

CUR CANIS HECUBA.

E2_206 v.1 Hinc Hecubam finxere canem, sacra dogmata vatum,
2 quod vana aequaret garrulitate canem.

AD G. CAULIUM MONTIUM DELPHINATUS PROPRAETOREM.

E2_207 v.1 Consultissime juris, Africano
2 item et Scaevola, item et Papiniano
3 longe dexteriorque acutiorque,
4 si te praeteream silentio, unum ex
5 Lugdunensibus, improbus videbor
6 aut magis stupidus Baga et Corebo.
7 At dicam tibi veriora veris,
8 ut nil enthea verius Sibylla.
9 Quam multis in ea ipse civitate
10 laudatis tacitus mihi maneres,
11 Cauli multijugae eruditionis,
12 dicerem potius libens volensque
13 Muis omnibus ultimam salutem.

DE JOVE, ET AMORE.

E2_208 v.1 Aeri exempturus flammae se Juppiter olim,
2 qua saevam ardebat perditus Alcumenam,
3 hac puerum blandus voce obtestatur Amorem,
4 urenda est flammis Alcumene ista tuis.
5 Cui puer, o quem ipsum caelum, quem terra tremiscit,
6 quem Pluto in tenebris, Ennosigaeus aquis,
7 si tua te Juno flammis incenderet istis,
8 nostro hic auxilio dignior esse queas.
9 Sed cum mortalis te femina sola perurat,
10 ipse tuis illam ulciscere fulminibus.

AD D. ANTONIUM AUGUSTUM.

E2_209 v.1 Ne tibi sit mecum aut mihi controversia tecum,
2 videro pro nostra semper amicitia.
3 Sed male Gnato pudens, mensis clavo ille trabali
4 fixus, inauditis me petit opprobriis.
5 Ut possit gelidam inter nos suffundere, nullum
6 non lapidem ingenio perditiore movet.
7 Quantum vult moveat, modo ne profecerit hillum,
8 quin sartus tectus noster amor maneat.
9 Quicumque est, quamvis, Auguste, videtur Achates,
10 ausim vere illud dicere, Sumen amat.

POETA DE SE, ET AMORE.

E2_210 v.1 Hesterna mihi nocte per quietem
 2 obvenit Deus ille, qui unus omnes
 3 configit levibus Deos sagittis,
 4 nedum nos homines, jubetque maestum
 5 spe bona esse et ait : "Licet negarit
 6 ferox Gellia basium tibi unum ;
 7 tandem mille dabit libens volensque
 8 et saeva in placidam redibit olim,
 9 ut nil durum adeo est sub orbe toto,
 10 quin mollescere possit, aera, saxa,
 11 aut si durius esse quid videmus."

AD QUINTIANUM LABONIANUM CONSOBRINUM.

E2_211 v.1 Si nullos habuit nostra umquam Aquapersa poetas,
 2 quorum olim fuerit clarior ingenio,
 3 florere ac summas fama volitare per auras
 4 Ducherio poterit, Laboniane, suo :
 5 si non parva suo quantum Verona Catullo,
 6 quantum urbs Arverno nulla sub orbe tamen.

AD MARSILIANUM.

E2_212 v.1 Omni laude facis rem dignam, Marsiliane,
 2 si sustines, et abstines.

IN AVENUM.

E2_213 v.1 Inguinis et capitis discrimen nescit Avenus,
 2 mus albus et passer salax.

IN PACEM RECENS

INTER FRANCISCUM FRANCIAE, ET CAROLUM HISPANIAE REGES INITAM.

E2_214 v.1 Questa est ad Superos, in primis vero Tonantem
 2 ad summum, innumeris Vesta madens lacrimis :
 3 "Siccine tot Mavors, Gallum inter et inter Iberum
 4 bellum annos, imo plurima bella feret ?
 5 Europam, amborum ferro vehementer et igni
 6 vastatam, Turcae castra cruore manent.
 7 Quem datis, o Superi, finem, quem magne laborum
 8 Juppiter ? Hisce odiis quis modus exstiterit ?
 9 Perdere si libeat, semel orbem perditote totum,
 10 ad mala nec tantos sumite tanta dies."
 11 Tum, pro Mercurio Lotharingum antistitem habentes,
 12 inter eos reges pacem ineunt Superi.
 13 Quando Christicolae concordiae pace fruuntur,
 14 in te ferrum acuent : nunc tibi, Turca, cave.

AD CUPIDINEM.

E2_215 v.1 Divitias spernam resupinas tempus in omne,
 2 nec jam sollicitae serviam avaritiae,
 3 quando promittis mihi certum ac mite levamen,
 4 ut fieri mitis Gellia nostra queat.
 5 Divitias nihili faciam Croesive Midaeve
 6 magnaue celsarum culmina pyramidum,
 7 Attalicis cum opibus, gemmae spernentur Eoae,
 8 si tua non fuerit vana, Cupido, fides.

IN CORDUM VOLERUM.

E2_216 v.1 Arma moves, sed cum nequeas jam mota tueri :
 2 quod superest, nostro subjice colla jugo.
 3 Nodosis post terga miser stringere catenis,
 4 ut vinctus nostras ante trahare rotas.
 5 Turba poetarum, oratorum hoc turba videbit,
 6 ridebuntque tuam, Corde poeta, vicem.
 7 Perpersoque tibi nostri spectacula triumphi
 8 perpetua obscurus regia carcer erit,
 9 ne foedes sacras inculato carmine Musas,
 10 aut Clarium inscita rusticitate Deum.

DE CORDO EURICIO.

E2_217 v.1 Plurima sunt nobis in Cordum carmina : eumdem
 2 decipitur Cordum, qui putat Euricium,
 3 Euricius siquidem doctus scitusque poeta est,
 4 cujus vero libens ingenio faveam.
 5 Est alius Cordus, non is cognomine, verum
 6 et verbo et scripto Cherilus aut Bavius.

AD MATTHAEUM MICHAELEM.

E2_218 v.1 Cur tanta immerito adscribis mihi, docte Michael,
 2 quanta nec agnosco nec satis opto quidem ?
 3 Ut committam oculis hominum metuentia nullos
 4 carmina jam Momos, forte nec invidiam.
 5 Cum Corydus cantu Ledaeos vincet olores,
 6 garrulae amoenidicas lusciniias ululae,
 7 tunc ego praestabo quaecumque poeta poetae
 8 prolixè adscribis, maximus exiguo.

DE CAROLO PALUDANO, ET JOANNE CANAPERIO MEDICIS, AD LIBRUM SUUM.

E2_219 v.1 Quando Paludanus, quando Canaperius ipse
 2 iudicio te ornant, parve libelle, suo,
 3 jam securus abi, nulla formidine : tantis
 4 nullum ab Aristarchis convenit esse metum.
 5 Si qui te carpent, tantum ipsis dicito : "Vobis
 6 displiceam, dum illis iudicibus placeam."

AD D. JACOBUM CAMBRAEUM BITURIGEM.

E2_220 v.1 Tu mihi praeter eras missus, Cambraee, tibi que
 2 in nostro nullum carmine nomen erat.
 3 Praetermissorem monuit Molinius ille,
 4 Sithoniis multo candidior nivibus.
 5 Et monuit mihi ne indictus Cambraeus abiret,
 6 laurigerarum ingens gloria Sicilidum.
 7 Debeo nunc multum monitori, vellit ut aurem,
 8 ex albo nec te sivit abesse meo.
 9 Nostris ex scriptis non exornabere, nostra
 10 exornabuntur nomine scripta tuo.

AD R.D. GERALDUM RUFFELLUM, ANTISTITEM OLERONENSEM.

E2_221 v.1 Illius quantum sacra scripta monstrant,
 2 gentium doctor, dominique Christi
 3 maximus praeco, quoties Titumve,
 4 Timotheumve
 5 instruit, semper jubet esse vita,
 6 esse doctrina, sine fraude, puros,
 7 ne gregem pseudo Domini sequacem
 8 dogmate perdant.
 9 Tu modo cum sis Olerone ab ipsa
 10 praesul accitus, Superum favore,
 11 non item humano, veluti tiara
 12 dignus eodem :
 13 quid gregem Christi moneam docendum
 14 verbo et exemplo ? Quod et ipse totus
 15 efficis, toto et studio et labore
 16 pronus in illud.
 17 Eruditam sus doceam Minervam,
 18 Marsyas Phoebum, modo si laborem
 19 te tui forte officii monere,
 20 optime Praesul.

AD N. TURRINIUM, GENSATI TOPARCHUM,
DE VICTORE BRODAEO, ET JOANNE FROTAE.

E2_222 v.1 Quaeris ne imprudens Brodaeum in carmine nostro
 2 et Frottaeum itidem praeteream tacitos.
 3 Debebas opera Tegeaeum numen eadem,
 4 Turrini, numeris conciliare meis.
 5 Scilicet, ut tantos ornare poemate digno,
 6 et tantis possem scribere digna viris.
 7 Ordinis ipse tui collatus forte poetis,
 8 exstiterim argutas inter aves corydus.

AD MUSAS DE PHILIPPO GAYANO LUGDUNENSI, AQUAPERSAE HAEDUORUM DECANO.

E2_223 v.1 Ornate Aonides Gayanum, obsecro, Camenae,

2 et meritum meritis nunc celebrate modis.
 3 Qui cupidus vestri cultus vestrique nitoris,
 4 doctos sincero doctus amore colit.
 5 Recte ac prudenter pleno Rhamnusia cornu
 6 adjecit tali divitias animo, :
 7 ex voto ut possit doctosque probosque juvare,
 8 ut certe a teneris ingenitum hoc habuit.

GERMANI BRIXII TUMULUS.

E2_224 v.1 Hipponi antistes, multo sanctissimus ille,
 2 Augustinus ubi est Brixion intuitus,
 3 Brixion ad manes missum, haud aetate vieta,
 4 subtristis misso talia verba facit :
 5 Orbi tene Atropos invidit pessima, sanctis
 6 usque adeo scriptis utilem et appositum ?
 7 Invidit pridem et doctrinae lumen Erasmus,
 8 et virtutis item praenitidum speculum.
 9 Porro quid miseris fiet mortalibus, atri
 10 quos omni quatiunt Haeresiarchae opera ?
 11 Quando huc venisti caelesti denique jussu,
 12 et tibi nobiscum est denique parta quies,
 13 laetis te excipiet noster Chrysostomus ulnis,
 14 ingenii adsertus nobilitate tui ;
 15 et te dilectum dilecto junget Erasmo,
 16 ut paribus junctos convenit esse pares.

AD CLAUDIUM TORVEONEM LUGDUNENSEM.

E2_225 v.1 Te nisi Borbonius mihi suggessisset amoenus,
 2 impense ut doctos, doctus et ipse, colit ;
 3 ignotum mihi te tacuissem, Torveo, notum
 4 avertant Superi te ut tacuisse velim.
 5 Quod te carminibus nostris non sivit omissum,
 6 illi haud vulgarem gratiam habere potes ;
 7 ejus si generis duces mea carmina, laudem
 8 nancisci unde queas, magnus, ab exiguo.
 9 Magnus et ingenio, et doctrina, corpore parvus,
 10 ut te Tytiden dicere jure queam.

IN SCANDYLUM.

E2_226 v.1 Nescio quam recte Dianas, Scandyle, noris ;
 2 novisti Eumenias, Laidas et Glyceras.
 3 Pamphilus an fueris quondam, sectator amorum,
 4 nescio : es insignis Phormio, leno bonus.

AD VIATOREM CACHODUM, A SANCTO AMORE SEQUANORUM.

E2_227 v.1 Ornamenta quidem numerorum prima meorum
 2 censeo, cum doctos atque probos celebros.
 3 Illorum in numero cum sis, doctusque, probusque,

4 nomine adornantur carmina nostra tuo.
5 Carmina tum lucem, Cachode, habitura coruscum,
6 posteaquam fuerint nomine digna tuo.

AD PASCASIUM.

E2_228 v.1 Si de Salmonio jam scripsi plurima dudum,
2 cur minus et de te scripsero, Pascasie ?
3 Estis earundem Musarum ornator uterque,
4 connexi verae vinculo amicitiae.
5 Quaeris id unde sciam ? Affirmanti talia possum
6 (ut vanus non est) credere Borbonio.

DE P. GERALDO, ET N. BERALDO.

E2_229 v.1 Phoebi et Palladis, et novem sororum
2 esse delicias quidem Beraldum,
3 esse delicias item Geraldum,
4 si quisquam dubitet, putabo eidem
5 illi nec caput esse, nec cerebrum.

AD MUSAS,

DE AEMYLIO FERREO HETRUSCO, REGIS FRANCORUM ET LEGATO, ET SENATORE.

E2_230 v.1 Mnemosynes natae, sublimem Heliconam colentes,
2 cur, cedo, Ferretum carmina nostra tacent ?
3 Ferretum Franci ad majora negotia Regis
4 legatum, quae ubivis gentium habere potest
5 inscriptumque albo centum numeroque virorum,
6 qui laesis reddunt ultima jura reis.
7 Oratorem etiam primum, primumque poetam.
8 Cur vero haec vobis talia nota satis ?
9 Tum mihi Calliope : "Vere hunc laudare laborans,
10 Pygmaeis caelum ferre studes humeris."

AD JOANNEM RAENERIUM

DE CLAUDIIS RUFO TRIVULTINO, ET BIGOTERIO SEGUSIANO AMICIS.

E2_231 v.1 Debeo, et aeternum tibi me debere, fatebor,
2 Raenerie, ac nullo jure negare queam
3 quod mihi fecisti Rufum et Bigoterium amicos,
4 eximie doctos, eximieque bonos,
5 quorum voce mihi cantare videtur Apollo,
6 tam tersi, tam sunt perlepide lepidi.
7 Nunc se Ducherius felicem judicat esse,
8 tam celebres demum nactus amicitias.

POETA AD DIVITES SUIS CARMINIBUS LAUDATOS.

E2_232 v.1 Ad Croesus quoties scribit, Crassosque poeta
2 fortunae tenuis Codrus, et Irus egens :

3 orat carminibus ne pensent carmina, verbis
 4 verba. Nitens opibus, sordet avaritia.
 5 Esse decet promos et condos dedecet esse,
 6 quorum fama sacro carmine culta nitet.
 7 Quo plus accipiam, plus me hoc debere fatebor :
 8 vestra olim crescet carmine fama meo.
 9 Quo minus accipiam, minus hoc debere fatebor :
 10 perdidero, haec scribens, atque oleum, atque operam.

AD SEBASTIANUM GRYPHIUM, TYPOGRAPHUM CELEBERRIMUM.

E2_233 v.1 Gryphi, cujus ope ac labore docto
 2 sacrae Pierides suos alumnos
 3 vident crescere plurimum dietim,
 4 gratias venio tibi actitatum,
 5 aut actum potius, tuo quod aere
 6 typisque haec mea scripta publicaris.
 7 Fecissent alii libenter illud,
 8 non pauci ; sed enim volebam ab hujus
 9 nostri principe saeculi Tryphone
 10 nostra haec quantulacumque publicari.
